# INDEX LATINUS.

## *Voces aut rariores, aut ex ſenſuum varietate difficiliores explicantur.*

### A.

ABROGO. Dicuntur magiſtratus Romani *abrogare*, cum agunt cum populo, & ferunt ad populum ut quod ante juſſerat rogatus lege, tollat. Hinc illud: *abrogare fidem alicui*, hoc eſt, habendam non putare, & ſimilia.

ACCENSUS. *Verr.* I. 28. *&c.* Publicus miniſter magiſtratuum, ſimilis Viatori.

ACCLAMATIO, dicitur non ſolum in bonam, ſed etiam in malam partem. *Ad Q. Fr.* II. 1. *maxima* acclamatione *ſenatus*, id eſt, reclamante ſenatu.

ACCOMMODO. *De Off.* I. 21. accommodare *ſe ad rempubl.* id eſt, accedere ad remp. *Orat.* 7. accommodare *vim ſuam ad eloquentiam*, ſtudere eloquentiæ. *Roſc. Amer.* 35. accommodare *jusjurandum ſuum ad alicujus teſtimonium*, de judicibus invidioſe, cum teſtibus incertis & nullius fidei credunt, & ex eorum teſtimoniis pronuntiant.

ACROAMATA. Sunt homines, qui cantu, geſtibus, dictis exhilarant convivas, &c. *Verr.* IV. 22. *Sext.* 54. *Arch.* 9.

ACTIO. Magiſtratuum *actiones* ſunt, aut leges, quæ iis ferentibus ad populum acceptæ ſunt, aut Senatus-conſulta, quæ iis referentibus ad ſenatum facta ſunt. Hoc ſenſu commemorantur actiones tribunitiæ, conſulares, &c. Senatorum autem conſularium *actiones*, ſunt ſententiæ in ſenatu dictæ, in quas Senatus-conſulta facta ſunt. Talis eſt actio Ciceronis, *ad Fam.* X. 28.

2. In ſenſu forenſi *actio* eſt accuſatoris, vel petitoris, qui ex lege in aliquem agit, accuſando, petendo. *Roſc. Com.* 12. *integram* actionem *alicui relinquere*. Cæc. 11. *quæro ſit-ne hujus rei* actio *nonnulla*. Hinc prætor dicitur, actionem *dare*, cum permittit accuſatori vel petitori in aliquem ex lege aliqua agere. *In Cæcil.* 5. *Civibus cum ſunt ereptæ pecuniæ, civili fere* actione *repetantur*, id eſt, ea, qua civis utitur in eum, qui pecunias eripuit: & eſt juris civilis actio, vel privati.

3. Eſt formula, qua actor utitur in intendenda reo lite, quæ a Juris-conſultis fere petebatur. *Cæcin.* 3. *qua* actione *illum uti velit*. ad Attic. VI. 1. *Cn. Flavium ſcribam* actiones *compoſuiſſe*. Confer *Top.* 17. *de Orat.* I. 36. 41. Tales fuere *actiones* Hoſtilianæ, &c.

4. Cum *actio prima, altera, tertia* commemoratur, ſignificatur, quoties ea cauſa ad judices tota acta ſit. Sic duæ ſunt actiones in Verrem.

5. Quid apud rhetores ſit actio, notum eſt. Ea memoratur *de Or.* III. 26. *Conſumere*, & *exhaurire* actionem, id eſt, ab initio ſtatim nimis vehementem eſſe, ut ad finem actio durare non poſſit. Confer *Tuſc.* IV. 19. *Dejot.* 2.

ACTOR, eſt in ſenſu forenſi is, qui alterius nomine accuſat, aut petit, hoc eſt, lege in aliquem agit.

In ſcena autem, hiſtriones. *Ad Q. Fr.* I. 1. 16. actores *induſtrii*. *In Cæcil.* 15. actores *ſecundarum aut tertiarum partium*.

ADDICERE, in auctionibus & emptionibus eſt, ei tradere rem, qui cæteros licitatores vicit. *Verr.* I. 55. *Rabir. Poſt.* 17.

De debitoribus, qui cum ſolvere non poſſunt, creditori traduntur. *Sext.* 17. *Piſon.* 35. Hinc *pro Quint.* 30. *cupiditati* addicere *aliquem*, eſt condemnare, pro lubitu petitoris aut accuſatoris. *Poſt red. in Sen.* 7. addicere *fortunas civis optime meriti*, ſcilicet libidini Clodii; poteſtati ejus permittere, ut ea ſunt in poteſtate noſtra, quæ a nobis empta ſunt, aut potius, ut eſt in poteſtate noſtra debitor judicio nobis addictus.

ADDICTUS. *Roſc. Com.* 14. *addictus erat tibi*, hoc eſt, condemnatus, ut tibi ſolveret pecuniam, quam petieras. *Flac.* 20. *cum judicatum non faceret*, addictus *Hermippo, & ab hoc ductus eſt*. Ad Fam. VII. 24. *addictus Hipponacteo præconio*, hoc eſt, infamiæ addictus traditusque eſt, Calvo quaſi præcone, eoque ejuſmodi, qualis Hipponax fuit, qui Anthermum & Bupalum verſibus ſuis infamiæ tradidit. *Verr.* II. 32. *pretio* addictam *habere fidem*, id eſt, corruptum eſſe. *Phil.* II. 21. *vendita atque* addicta *ſententia*.

ADDICTIO. *Act.* I. *in Verr.* 4. addictio *bonorum*; cum judex petitori ejus bona poſſidenda tradit, unde petitur.

ADSCRIPTOR. *Poſt red. in Sen.* 4. adſcriptor *in me reſtituendo*, id eſt, qui auctori reſtitutionis meæ aſſenſus eſt. *Agr.* II. 9. adſcriptores *legis*, ſunt approbatores e collegio tribunitio, qui una cum Rullo ferendam ſtatuerant.

ADSTIPULATOR. Qui in re præſenti eſt, & una idem pro eodem ſtipulatur, cum quis ſibi ſtipulatur aliquid. *Acad.* IV. 21. *Stoicorum* adſtipulator *Antiochus*, metaphorice dicitur.

ADVENTITIUS, exrrinſecus ad nos perveniens, non noſtrum, aut noſtro labore partum, &c. *De Fin.* V. 21. *adjumenta externa &* adventitia. *Leg. Man.* 9. adventitiis *multorum Regum & nationum copiis* *Verr.* IV. 37. adventitium *auxilium*. *Rab. Poſt.* 17. adventitia *pecunia*. *Ad Att.* I. 19. *pecunia* adventitia dicitur, quæ ex novis vectigalibus redit. *De Or.* III. 33. *doctrina* adventitia, *id eſt*, ab alio populo inventa. *De Div.* II. 58.

viſo



*viſio* adventitia, a ſenſibus profecta.

ADVERSARIA. Sunt libri, in quos ſine ordine omnia conjiciuntur; ita dicti, quia tantum in adverſa parte ſcribitur. *Roſc. Com.* 2. *nomen in* adverſariis *patet*.

ADVERSARIUS, qui contra non licetur in auctionibus & emptionibus, *ad Attic.* XII. 43. XIII. 31.

ADVOCARE, eſt in ſenſu forenſi, rogare amicos, ut nobiſcum deliberent de re aliqua, in primis de lite; quo ſenſu *advocati* dicuntur. *Quint.* 22.

2. Rogare aliquem, ut in conſilio nobis adſit. Sic pro Quint. cap. 2. 22. *quos ubi Aquili*, advocaſti.

3. Amicus actoris aut rei dicitur *advocare*, cum convocat, quibuſcum de cauſa deliberet, ut juvare partes amici poſſit. *Cluent.* 19. *Oppianicus in judicio Scamandri aderat frequens*, advocabat, *omni ſtudio gratiaque pugnabat*.

ADVOCATIO, cœtus advocatorum, *Quint.* 14. *Roſc. Com.* 5. *Verr.* I. 49. *Cæcin.* 15. *Syll.* 29. &c.

Certum temporis ſpatium, quo opus eſt, ut advocare poſſimus. *ad Fam.* VII. 11. advocationes *binas poſtulare*.

ADVOCATUS, dicitur amicus, quem vocamus ad nos, ut eum conſulamus de controverſiis noſtris, quique honoris cauſa in judicio in ſubſelliis noſtris ſedet, aut nobiſcum in rem præſentem venit. *Vide de Off.* I. 10. *Quint.* 8. *de Or.* II. 47. * *Philipp.* I. 7. armatos homines, quos in Senatum induxerat Antonius Conſul *advocatos* vocat: *vellem adeſſet ſine* advocatis.

ÆRARIUS. *Pro Quint. cap.* 4. ratio *Æraria*, hoc eſt, ratio pecuniæ diverſæ in Gallia & Romæ.

*Pro Cluent.* 43. *in* ærarios *referri*, hoc eſt, in ultimam claſſem, cui adſcripti ſuffragio carebant, & tantum æra tributi loco pendebant. Erat autem hæc nota cenſoria, quam plebi quidem in primis, ſed interdum tamen etiam ſenatoribus & equitibus inurebant. *De Or.* II. 66. *ex* ærariis *eximere*.

Ærario *Tribuni*. Vide *Tribunus*.

ÆSTIMATIO. *Verr.* III. 92. *remiſſior* æſtimatio *frumenti*. Æſtimatio frumenti dicitur, cum prætores, legati, quæſtores pro frumento, quod in eorum cellam imperatur (*Vide* Cella) pecuniam accipiunt ab aratoribus, & quidem tantum, ut ipſis utilius ſit, pecuniam accepiſſe; aratoribus dediſſe.

Æſtimatio *pœnæ*, *de Or.* I. 54. eſt, cum accuſator (more Athenienſi) in ipſa accuſatione, quam pœnam reus meruerit, æſtimat.

Hæc autem, *ad Fam.* V. 20. *accipere æſtimationem*. XIII. 8. *accipere in æſtimationem*, capienda ſunt de ratione, qua Julius Cæſar æs alienum, quo laborabat civitas, diſſolvi juſſit; cujus hæc vis erat, ut debitores darent creditoribus in ſolutum prædia, ſed non eo pretio, quo tum erant, poſt bellum civile, ſed eo, quod ante bellum fuerat: unde *æſtimatio* pro *jactura*, eſt *ad Fam.* IX. 16. & *æſtimationes* pro *prædiis* pecuniæ loco acceptis, *ad Fam.* IX. 18. æſtimationes *tuas vendere non potes*. Confer *ad Att.* XII. 25.

*Æſtimationem*. Cicero interpretatur Stoicorum ἀξίαν; cum dicerent, ſolam quidem virtutem eſſe bonum, ſed eſſe tamen præterea res dignas *æſtimatione* aliqua, hoc eſt, ut præponerentur aliis, ac ſumerentur, tanquam valetudinem rectam, divitias, honores. Vide *Fin.* III. 10. 6. 13. *Acad.* I. 10.

AFFECTUS. *Divin.* II. 47. quomodo *affecto* cœlo, &c. id eſt, qua conſtellatione.

*Affectum* dicitur de eo, quod cœptum eſt & jam ex parte profligatum. *Prov. Conſ.* 8. *affectum* bellum, & pene *confectum*.

Dicitur etiam quicquid afflictum, debilitatum eſt, &c. *de Or.* I. 45. *Verr.* IV. 43. *ætas* affecta, *de Or.* III. 18. affectus *ſenectute*. *Verr.* III. 18. affecta *Sicilia*. *ad Fam.* V. 13. *ita* affectum *ac deletum extinctumque fateare*. Ibid. 20. *nunc ſic* affecti *ſunt &c.*

*De* animi perturbationibus, *ad Att.* XII. 32. *graviter* affectus.

Tractatus. *Verr.* IV. 67. *ut abs te* affecta *eſt, ita in te animatam videmus*.

Significat ſtatum rei quemcunque. *Fin.* I. 11. *manus tua ſic* affecta, de manu extenſa. *Tuſc.* III. 9. *manus recte* affecta. *Part. Or.* 23. *quidam animi habitus ſic* affecti *& conſtituti*.

Top. 2. *res, quæ quodammodo* affectæ *ſunt ad id, de quo quæritur*, id eſt, ad eam referuntur aliqua ratione, ei junctæ, ut conjugata, genus, ſimile, differens, contrarium, adjunctum, antecedens, &c.

AFFLIGO. Idem, quod afflictare. *Divin.* II. 1. *nec* afflixi *me*. **Sext.* 41. *Cauſam ſuſceptam* affligere, *id eſt*, prævaricari. * *Brut.* 12. affligere *rem vituperando, opponitur, augere rem laudando*.

AGNASCOR. *De Orat.* I. 57. agnaſcendo *teſtamenta rumpi*. Si quis poſt teſtamentum natus eſſet, ad quem, ſi nullum teſtamentum eſſet, hereditas perveniret, neque teſtamento eſt exceptus: quod valet etiam de adoptionibus.

AGNATIO. *De Leg.* I. 7. agnationibus *familiarium diſtinguuntur ſtatus*, *hoc eſt*, ſerie generis, per perſonas generis virilis, diſtinguuntur familiæ patriciæ & plebejæ.

AGO, dicitur de iis rebus, de quibus actio magiſtratuum, ſenatorum, accuſatorum, & petitorum. *Manil.* 1. *de Or.* I. 36. *in Cæcil.* 5. *lege* agere, *id eſt*, ex lege, permittente lege accuſare, vel petere. *De Or.* I. 38. agere *in hereditatem*, id eſt, petere hered. *Quint.* 9. *ex ſponſione* agere, ſcilicet cauſam. *Mur.* 17. agere *cum populo tanquam ex ſyngrapha*. Vide Syngrapha. *Act.* I. *in Verr.* 12. agere *de rep. cum populo*. De Amic. 25. *in forum verſus* agere *cum populo*, *id eſt*, converſo ore verſus forum, ubi plebs eſt, cum ſolerent magiſtratus honoris cauſa convertere os ad ſenatum & comitium. *Ad Fam.* I. 9. *quæ ego* agebam, ſcilicet in ſenatu.

*Brut.* 92. Agens *orator* dicitur, cujus vehemens eſt actio pene uti hiſtrionum, ut res non narrari, ſed agi videatur.

Notandæ ſunt etiam hæ formulæ: *ad Fam.*

III.

III. 6. agere *forum*. Vide FORUM. *Verr.* IV. 66. agere *ſpumas in ore*. *ad Att.* XIV. 9. agere *rimas*. *Verr.* I. 3. agunt *præcipitem pœnæ civium Rom.* id eſt, conſcientia ſcelerum in cives Rom. pœnas ab eo exigit, eum ita furioſum efficit, ut ad inſana conſilia ruat.

Agere *animam*, *ad Fam.* VIII. 13. morti propinquum eſſe.

AGRARII. *Catil.* IV. 2. *Gracchus* agrarios *concitare ſtuduit*, id eſt, eos, qui agros legibus agrariis conſequi cupiebant.

ALARII. *Ad Fam.* II 17. Sunt alæ equitum ex Italia & provinciis collectæ, quæ ſingulis legionibus addebantur loco 30. turmarum, quæ olim ex ordine equeſtri addebantur.

ALBUM. Tabula alba, in qua edicta, & alia hujuſmodi proponebantur: libelli, tituli proponendi in publico.

ALIENATIO. *Orat.* 42. alienatio *ſacrorum*: confer *de leg.* III. 20. cum nos ſacris liberamus, ut aut intereant, aut ad alios transferantur.

ALIQUID. *Tuſc.* III. 18. *ſi vero etiam* aliquid, per ἀφροδισιάζειν, de re Venerea. Similis ἀφροδισία eſt in his: *ſi* quid *ei acciderit*; &, *ſi* quid *acciderit*, de morte, clade bellica, &c.

ALLEGO. *Roſc. Am.* 9. allegat *iis homines nobiles*. Submittit ad eos, qui cum iis agant. *Nota*: Publice *legantur* homines, qui inde *legati* dicuntur; privatim *allegantur*, unde *allegati*.

AMBITIO. Petitio honorum honeſta; *de Or.* I. 1. *ad Fam.* VII. 1. *ad Att.* I. 1. ambitio *noſtra nititur*, *&c.*

*Ambitio* dicitur de omnibus rebus, quæ aut gratiæ colligendæ cauſa facimus, aut ut nos gratioſos eſſe oſtendamus apud hos, a quibus petimus aliquid. *Verr.* II. 40. 55. *ad Fam.* V. 20. *Tuæ* ambitioni *reſervata eſſe*, hoc eſt, tibi relicta, ut gratiam inire ab aliis poſſis, quibus hoc beneficii tribuas. *Brut.* 69 Ambitione *labi*, ſcilicet, in laude, cum laudamus indignos, ut gratiam ineamus. *ad Fam.* XIII. 5. Ambitione *mea*, id eſt, precibus meis, quibus utor, ut impetratis rebus, gratioſus videar. *Cluent.* 26. Ambitio *judicum*, *&c.*

*Off.* I. 30. *in Scipione* ambitio *major*, *vita triſtior*. Eſt σεμνότης quædam & gravitas in cultu & habitu.

AMBITIOSUS. Qui gratias hominum captat, aut gratioſus apud homines magnos videri vult: *Cluent.* 38. *Verr.* III. 84. *ad Q. Fr.* I. 2. *Ne me in Græcos* ambitioſum *factum mirere*. Flacc. 18. *Ita eſt* ambitioſus, *ut omnes vos noſque ſalutet quotidie*. Ad Fam. VI. 6. *cedit* ambitioſis *voluntatibus*. Et ibid. 12. *rogationes* ambitioſæ, quæ fiunt, non quod officium amicitiæ, propinquitatis poſtulet, ſed ut gratioſos nos eſſe apud eos oſtendamus, quos rogamus, ſi ab iis rogata impetramus, & ſimul gratiam ineamus. *Ad Att.* I. 18. *amicitiæ noſtræ* ambitioſæ *ſunt in quodam ſplendore forenſi*. Ad Fam. XIII. 1. *homo minime* ambitioſus, *minime in rogando moleſtus*.

AMBITUS. Crimen quod admittitur, cum minime legitimis modis magiſtratus impetrare ſtudemus, hoc eſt, iis, quos leges de ambitu prohibent. *Ad Q. Fr.* II. 3. *de* ambitu *poſtulatus eſt*.

*De Or.* III. 48. *Brut.* 44. &c. *verborum* ambitus, eſt περίοδος.

AMPLIARE. *Verr.* I. 9. Eſt verbum forenſe, quod ſignificat, judices non decernere, ſed pronunciaſſe *amplius*. Unde *ampliatio*. Formula ampliandi erat, *Non liquet*.

AMPLIUS. *Verr.* I. 9. *Pronunciare* amplius, ſcilicet, rem eſſe cognoſcendam & deliberandam. Confer *Brut.* 22.

ANNONA. Pretium frumenti, quod e copia aut paucitate frumenti oritur, quod anno quoque provenit. Item ipſum frumentum, quod provenit. *Verr.* III. 92. *ratio frumenti e temporibus &* annona *eſt conſideranda*. Ibid. 93. annonæ *ſimilis*. *Dom.* 6. annona *durior*. *Phil.* VIII. 8. *perfugia* annonæ. In caritate annonæ.

ANTIQUARE legem *Leg.* III. 17. *Off.* II. 21. id eſt, non recipere, rejicere. Verbum inde natum, quod in tabella ſcriptum erat, *A. P.* id eſt, antiqua probo.

APPARERE, præſentem eſſe, ſi quid forte jubeatur. De lictoribus, viatoribus, ſcribis, *&c.* *Cluent.* 53. Apparere *quæſtioni*, dicuntur ſcribæ, lictores, &c. Hinc *de Leg.* II. 8. apparere *Diis*, dicuntur miniſtri ſacrorum.

AMPLIFICATIONIS jus. *De Or.* I. 39. Peregrini vel inquilini, Athenis lege, Romæ conſuetudine, ſibi deligebant aliquem, quem ſibi adoptarent patronum ( προστάτην ) ad quem ita ſe, ut clientes Romani, habebant. Jus *applicationis* igitur eſt, quod habet patronus in eum hominem, qui ſe ad eum applicuit, in ejus bona, hereditatem; &c. An poſſit verbi cauſa ei heres eſſe, ſi inteſtato mortuus ſit, nec ne, &c.

APTUS. *Aptum* dicitur quodcunque ex alio pendet. *Tuſc.* V. 25. *cauſæ aliæ ex aliis* aptæ *& nexæ*. Acad. IV. 10. *ex qua re una vita omnis* apta *ſit*. Cæcin. 18. *non ex verbis* aptum *pendet jus*. Tuſc. V. 12. *ex ſe ipſo ei* apta *ſunt omnia*; de eo cujus animi tranquillitas non pendet a rebus externis, ſed ab internis perpetuiſque bonis.

*Apta* dicuntur etiam, quæ recte inter ſe juncta ſunt. *Or.* 52. Apta *oratio* eſt numeroſa, in qua apta omnia inter ſe ſunt verba ita, ut numeroſe cadat. *Orat.* 70. *ex* aptis *diſſoluta*.

*Apta* videntur etiam pro *perfectis* dici. *Nat. D.* II. 18. Perfectiſſimam formam dixerat eſſe rotundam. Deſcripta autem ſphæræ ratione, addit: *Quo nihil fieri poteſt* aptius.

ARBITER eſt, in ſenſu forenſi, qui aut honoris cauſa deligitur ab his, qui controverſiam habent, aut a prætore datur, ut, non ex certa formula, quemadmodum judex, ſed ex fide bona, ex æquo & bono, controverſiam dirimat. Vide de diſcrimine *arbitri* & judicis, *arbitrii & judicii*, *Roſc. Com.* 4. 5.

*Off.* III. 16. *Top.* 10. Arbitrum *adigere aliquem*, id eſt, agere, cogere ad arbitrum. *Cæcin.* 7. arbiter *familiæ herciſcundæ*, id eſt, rei, hereditatis inter coheredes dividendæ.

Hinc metaphorice eleganter Chryſippus, *Fat.* 17. arbiter *honorarius* inter duas ſectas dicitur.

Sed



Sed eſt tamen interdum pro *judice*, ut *arbitrium* pro *judicio*. Nam *Roſc. Am.* 39. *arbiter* dicitur *judex mandati*, quia etiam in judicio mandati additur: *ex fide bona*.

Teſtis. *Flacc.* 36. *quis eſt deciſionis* arbiter? qui interfuit, eamque factam eſſe, & quomodo facta ſit, teſtari poteſt. Hinc *Verr.* V. 31. *ab* arbitris *remotus locus*: id eſt, a teſtibus.

ARBITRIUM eſt deciſio ex æquo & bono, ex bona fide. *Vide* Arbiter. *Roſc. Com.* 4. *judicium eſt pecuniæ certæ*, arbitrium *incertæ*. Vide locum ipſum. Hæc *arbitria* dicuntur *honoraria*, *Roſc. C.* 5. quia arbitris honoris cauſa defertur arbitrium. Sed eſt tamen etiam interdum pro *judicio*. Arbitrium *pro ſocio*, eſt judicium ſocietatis. *pro Quint.* 3. Vocatur autem propterea *arbitrium*, quia ſimile eſt arbitrii. Nam prætor in formula, in quam judicium dat, addit: *ex fide bona*. Judicium autem eſſe, ex eo patet, quod Prætor formulam dat, quod in arbitriis non fit.

Arbitrium *rei uxoriæ*, *Off.* III. 15. *Top.* 17. eſt de dote, poſt divortium.

*Dom.* 37. arbitria *funeris*, ſunt omnes impenſæ quæ in funus fiunt.

ARGENTARIA eſt genus negotii, quod in vendendis, hoc eſt, permutandis cum compendio nummis verſatur; quod qui exercent, *argentariam* facere dicuntur. *Verr.* V. 59. *Cæcin.* 4. ut *ſagariam* facere eſt ſagis vendendis rem quærere. Ab ea dicti *argentarii*, quorum non ſemel apud Ciceronem mentio: iidem cum menſariis, nummulariis, &c.

AS, proprie æneus nummus Rom. qui pendebat libram pondo, & erat ipſa æris libra. Ejus partes hæ ſunt; *uncia*, *ſextans*, *quadrans*, *triens*, *quincunx*, *ſemis*, *ſeptunx*, *beſſis*, *dodrans*, *dextans*, *deunx*. Ita, ut as habeat 12. uncias, 6. ſextantes, 4. quadrantes, 3. trientes, 2. ſemiſſes, unum dextantem; unum dodrantem, unum beſſem, unum ſeptuncem, duos quincunces. Quoniam autem commoditates multas habet in computationibus totius in 12. partes diſtributio, etiam aliæ res ad aſſis modum diſtributæ ſunt; imprimis hereditates. Vide *Cæcin.* 6. Fecit heredem *ex deunce & ſemuncia*.

ASSECTARI dicuntur, qui aliquem honoris & gratiæ cauſa in comitia, curiam, forum, domumque deducunt. Sic *Or.* I. 56. dicitur *Ser. Galba conſularis P. Craſſum ædilitatem petentem* aſſectatus *eſſe*, *quod Craſſi filiam C. filio ſuo deſpondiſſet*. Sic *aſſectator*, & *aſſectatio*.

ASSERERE. *Flacc.* 17. *Cum in cauſa liberali, eum qui* aſſerebatur, *cognatum ſuum eſſe diceret*. *Aſſerere* in foro dicitur & is, qui eum, quem quis ſibi, tanquam ſuum ſervum, vindicat, liberum eſſe teſtatur, & ab eo, qui vindicat, defendit; &, qui in ſervitutem vindicat. Utriuſque eſt *aſſertio* & *vindiciæ*, utriuſque *aſſerere* & *vindicare*, uterque *aſſertor*; ſed alter *in ſervitutem*, alter *in libertatem*; quod patet e Livio III. 44.

ASSIGNATIO. *ad Fam.* XIII. 8. Aſſignationes *Syllanæ*, ſcil. agrorum. Diſtinguuntur autem hic & aliis locis a *venditionibus*, ut *aſſignare & vendere agros*. *Agr.* III. 3. *ad Fam.* XI. 20. ubi ſorte dicuntur agri legionibus aſſignari. *Aſſignatio* fit per leges Agrarias, colonis deducendis, *venditio* autem auctione.

ASSUMERE. *Fin.* III. 5. ſenſu Stoico dicitur de προηγμένοις. * *Fin.* I. 10. *omnis voluptas* aſſumenda, *omnis dolor depellendus*.

Comparare ſibi, tanquam in ſubſidium. *De Or.* I. 50. *ſi quis aliam quoque artem ſibi* aſſumpſerit. *Ibid.* 37. *niſi dicendi copiam* aſſumpſiſſet, *ſcilicet*, præter jus civile.

Arrogare ſibi, vindicare. *Offic.* I. 1. *ſi id mihi* aſſumo, *videor id meo jure quodammodo vindicare*. Ad Fam. I. 9. *neque quicquam mihi* aſſumpſi, *nec hodie* aſſumo.

In ſyllogiſmo eſt *aſſumere*, cum majori propoſitioni, quam vocant, ſubjicimus minorem. *Divin.* II. 53. *ſed cum his ſumpſit quod voluit*, ( hæc eſt *propoſitio major*, quæ Ciceroni ſimpliciter *propoſitio* dicitur ) *id tamen quod* aſſumit, *concedi non poteſt*.

In rhetoricis *aſſumere*, eſt extrinſecus petere argumenta, non ex ipſa cauſa. *Top.* 2. *alii loci in eo ipſo, de quo agitur, hærent, alii* aſſumuntur *extrinſecus*. Confer. *Or.* 35.

ASSUMPTIO. *Invent.* I. 34. eſt minor quæ vocatur, Syllogiſmi propoſitio.

ATTRIBUTIO, apud rhetores dicitur quicquid rei tribuitur. Vulgo *prædicatum*, Vide *Inv.* I. 26.

In re pecuniaria dicitur, quam hodie vulgo *Aſſignationem* vocant, cum non ipſi ſolvimus ex arca, ſed ab alio, qui nobis aut debet, aut pro nobis ſolvere paratus eſt amicitiæ ergo. *Ad Fam.* XVI. 24. *ad Att.* XVI. 3. *in* attributione *mihi ignota nomina*, hoc eſt, homines a quibus mihi ſolvere vult, ignoti ſunt mihi.

ATTRIBUTUS. *Verr.* I. 13. *pecunia* attributa, *hoc eſt*, quæ nobis ſolvitur ab alio, data aſſignatione, quam hodie vocant. *Verr.* III. 70. *ſocietates*, *unde erat* attributa *pecunia*. *Ad Att.* XIII. 22. attributos *quod appelles*, *valde probo*. *Attributi* ſunt ii, a quibus attributa eſt pecunia, a quibus debitor ſolvit.

AUCTOR. Hujus vocabuli multiplex eſt & varius apud Ciceronem uſus.

1. Is, a quo fama orta eſt, & qui dicere poteſt, unde habeat, quæ dicit. *Ad Fam.* XII. 4. *Fama nuntiabat . . . erat nemo*. Unde *auctor* etiam pro nuntio eſt.

2. Præceptor. *Off.* II. 2. *quanquam in antiquiſſima philoſophia*, *Cratippo* auctore, *verſaris*.

3. Qui exemplum rei faciendæ dedit: qui rem facere ſuadet aut præcipit exemplo. *Acad.* IV. 2. *nec literarum Græcarum*, *nec philoſophiæ jam nullum* auctorem *requiro*, ſcilicet, cum Africanum & Catonem habeam, qui didicerunt. *Off.* III. 27. *num locupletiores quæris* auctores? *Verr.* III. 58. *Cur non*, *hoc* auctore, *etiam Romæ ſervi ad vectigalia accedunt?* *Verr.* V. 26. *Unum* auctorem *facti tui profer*. *Fin.* IV. 16. *Cato omnium virtuum* auctor, *id eſt*, exemplar.

4. Qui rem facere ſuadet, aut jubet, aut permittit. *Div.* I. 15. *aves* auctores, *ſcilicet*, re-

rum

rum ſuſcipiendarum aut omittendarum. Confer *ad Att.* I. 19.

5. *Auctor legis* dicitur, qui primus legem ſcivit, *Dom.* 30. Legis ſuaſor, adjutor, laudator. *Agr.* II. 5. *Leg.* III. 16. qui legem ferri jubet, quod erat ſenatus; unde *Senatores* auctores *legum* dicuntur. *Verr.* V. 67.

6. Auctores *in ſenatu*, *Brut.* 34. aut *conſilii publici*, *de Or.* I. 49. Sunt principes Senatores, hoc eſt, Conſulares & prætorii, qui habent jus ſententiæ dicendæ, adeoque rei alicujus auctores fieri poſſunt. Item, qui multum valent in ſenatu, ut *de Or.* III. 17. Item, qui alicujus rei in ſenatu auctores ſunt decernendæ, *ad Att.* III. 18. in quorum ſententiam fit SCtum. *ad Fam.* XV. 4. *Regem Ariobarzanem*, *te* auctore, *commendatum habebam*, hoc eſt, e SCto in tuam ſententiam facto.

7. Fide dignus. *Leg.* II. 6. auctor *haud deterior Theophraſtus Timæo.*

8. Teſtis. *Flacc.* 17. *gravis* auctor *injuriæ publicæ.*

9. Qui alicujus injurias defendit, & accuſando vindicat; quia ſcil. eſt auctor judicibus rei puniendi. *Flacc.* 22. auctorem *querelarum & doloris ſui habent.* Item:

10. Defenſor quicunque, qui alicujus rem cauſamque gerit. *Flacc.* 15. auctor *ſuæ civitatis*. Sic *Sext.* 66. optimatium defenſores & principes dicuntur, auctores *& conſervatores civitatis*, id eſt, defenſores. *Plant.* 13. auctor *ſocietatum multarum* fuiſſe dicitur, qui publicanorum defenſor fuit, multaque pro iis geſſit cum fide.

11. Eſt venditor, qui ſuum eſſe ſpondet, quod vendit, & ejus vendendi ſe poteſtatem habere, adeoque actione tenetur de evictione, (*Vide* Auctoritas infra, num. 21.) aut periculum judicii præſtat, ut in mancipio. *Cæcil.* 10. *auctor* fundi. Cæterum venditor eſt *auctor primus*; qui autem ſpondet pro eo, rem eſſe ejus, vendendique poteſtatem eum habere, *auctor ſecundus*. *Verr.* V. 22. *quod a* malo auctore *emiſſent*, *diutius ſe obtinere non poſſe*: qui evictionem præſtare non poſſet.

12. Tutor. *Cæcin.* 25. *dos quam mulier*, *nullo* auctore, *dixiſſet*, non adhibito tutore, qui in rebus mulierum auctor eſt.

13. *Cluent.* 5. auctores *nuptiarum*, ſunt parentes, cognati, tutores, qui nuptias aut confecerunt, aut probarunt, aut tabulas nuptiales obſignarunt.

14. *Dom.* 14. auctor *comitiorum Centuriatorum*, *& Curiatorum*, eſt, qui habet comitia, iiſque præeſt.

15. *Verr.* V. 67. Senatores dicuntur *auctores judiciorum & juris*, quia judicia haberi volunt, & adminiſtrant, & ſuum cuique jus reddi volunt.

16. Senatus quo ſenſu *auctor* ſit, *Patres auctores* fiant, *vide in* Auctoritas ſenatus, num. 33.

AUCTORITAS tribuitur ei, qui, quocunque ſenſu, auctor eſt, nuntiando, jubendo, ſuadendo, inveniendo, docendo, vendendo, teſtando, defendendo, rogando, exemplo præeundo, &c. aut eſſe poteſt, aut eſſe poſſe putatur.

1. *Auctoritas* ejus, qui primus quid invenit & fecit. *Invent.* I. 28. Auctoritatis, *& inventionis comprobatores.*

2. Sententia judicum; non ſolum, quia auctores ſunt condemnationis vel abſolutionis, ſed etiam, quia eo ipſo auctores ſunt alicujus rei omittendæ, vel licentiæ, ejus faciendæ impune. *Verr.* III. 94. *providete*, *ne* auctoritate *veſtra*, (ſententiis veſtris abſoluto Verre) *avaritiæ viam pateſaciatis illuſtrem atque latam.*

3. Eſt defenſoris & accuſatoris. *Syll.* I. *quantum ille* (accuſator) *de mea* auctoritate *deripuiſſet*. *Verr.* III. 5. *expectate* auctoritatem *accuſationis meæ*, id eſt, dum ego vobis accuſando fiam auctor Verris condemnandi.

4. Eſt confirmantis aliquid, ſed ita, ut differat ab ea, quæ eſt teſtimonium dicentis. *Ad Quir. poſt R.* 7. *audiſtis non ſolum* auctoritatem (ſcilicet dicentis a me remp. ſervatam) *ſed etiam teſtimonium.*

5. Exemplum. *Sext.* 6. *reipubl. capeſſendæ* auctoritatem *præſcribere*, ſcilicet, commemorando ejus tribunatum. *Tuſc.* II. 22. *valuit* auctoritas, &c. *Leg.* I. 13. *in diſputando aliorum* auctoritati *parere*, hoc eſt, ea methodo uti, qua alii uſi ſunt. *Verr.* III. 93. *Antonii facto atque* auctoritate *defendito*. V. 32. Auctoritas *majorum*, id eſt, quæ majores fecere ut nobis exemplum præirent. *Læl.* 21. *utrumque egit graviter*, auctoritate, *& offenſione animi non acerba*, hoc eſt, ut non daret exemplum amicitiæ acerbe ruptæ. *Roſc. A.* 6. auctoritate *cauſam nobilitatis defendit*, ſcilicet, apud municipes ſuos, quod exemplo ſuo ſuaderet, nobilitatis partes ſequi. *Verr.* III. 19. auctoritatem *ſuperiorum prætorum repudiare.*

6. Conſilium. *Ad Att.* X. 1. auctoritas *ejus mihi vivit*, hoc eſt, etiam mortui conſilium ſequor. *Off.* III. 30. *eorum* auctoritate *pax facta*. Confer *Sen.* 6. *Off.* III. 27. *ad Fam.* VI. 6. *Verr.* I. 42.

7. Eſt philoſophorum, quorum ſententias libenter amplectuntur homines. *Acad.* IV. 22. *inconſtantia levatur* auctoritas; quod eos non facile auctores ſequimur, qui inconſtantes ſunt in ſententiis. *Off.* I. 1. *ſumma doctoris* auctoritas *& urbis*; quia eruditiſſimus eſt, adeoque bonus auctor philoſophiæ, & in urbe inventa eſt philoſophia. *Div.* I. 39. *Nemo philoſophus aliter ſenſit*, *in quo eſſet* auctoritas. *Off.* III. 29. *maxima* auctoritate *philoſophi*. *Acad.* IV. *ad unius ſe* auctoritatem *conferre.*

8. Opinio inſignis de alicujus virtute, doctrina, &c. *Verr.* III. 90. auctoritas *eorum eſt tanta*, *ut etiam delicti ſuſpicionem tegere poſſit*. Manil. 15. *Imperatoris* auctoritas. *Verr.* I. 2. *judiciorum* auctoritas *conſtituta*. *Brut.* 67. auctoritate *eget*, de eo cujus nullum nomen in patronis cauſarum eſſet, cum diligentiſſimus eſſet. *Leg.* I. 5. *nunc ab uno ſumma* auctoritate *& ſcientia ſuſtinetur*. Senect. 18. *non cani*, *non rugæ repente* auctoritatem *arripere poſſunt.*

9. Quæcunque res, cujus aliquis auctor eſt. *Acad.* I. 9. auctoritas *veteris diſciplinæ* (ſcilicet Academicæ) hoc eſt, diſciplina, cujus veteres Academici auctores fuere.

10. Auctoritate alicujus utimur, cum eum auctorem, approbatorem, conſentientem nobis, dicimus. *Div.* I. 43. *leges ſuas* auctoritate *Apollinis confirmavit*. Acad. IV. 5. *in eorum* auctoritate *deliteſceret*. Div. I. 1. *ut ab ultimis* auctoritatem *repetam*. Tuſc. V. 12. *hujus ſententiæ gravitas a Platonis* auctoritate *repetatur*; inde, quod auctorem habet Platonem. de Amic. 1. *ſermo poſitus in veterum hominum* auctoritate, *id eſt*, qui a veteribus habitus dicitur.

11. Narrantis & teſtimonium dicentis fides: item, rebus narratis, *&c.* facta fides. *Offic.* II. 9. *ad Att.* V. 21. *Flacc.* 22. auctoritatem *eſſe in eo teſtimonio*, *&c.* Div. II. 54. auctoritatem *nullam debemus rebus commentitiis adjungere*. Ibid. 17. 22. *quid haruſpicina* auctoritatis *habeat*. *Ibid.* 59. *ſomniorum* auctoritas. de Amic. 25. *cum ad vanitatem acceſſit* auctoritas, *hoc eſt*, ſi is aſſentatur, qui auctor eſſe poſſe, qui fide dignus videtur.

12. Approbatio. *Tuſc.* IV. 34. *amori* auctoritatem *tribuere*. Confer *Phil.* III. 2. *Div.* I. 3.

13. Sententia, cujus ſe quis auctorem profitetur, judicium de re aliqua. *Cluent.* 50. *errat ſi quis in orationibus noſtris* auctoritates *noſtras ſe conſignatas habere arbitratur*. Manil. 22. auctoritatem *ſuam defendere*. Ibid. 20. *Catuli* auctoritas *& ſententia*. Nat. D. III. 3. *mihi hoc perſuaſum eſt*, auctoritate *majorum*. Confer *de Amic.* 4. id eſt, quia majorum ſententia fuit.

14. Quicquid facimus, quo auctores alicujus rei faciendæ, credendæ, fieri poſſumus. *Cluent.* 42. auctoritas *cenſoria*, dicuntur notæ cenſorum, quibus auctores fiunt, aliquem criminis cujuſdam reum eſſe. *Nat. D.* III. *utrum poetæ Stoicos depravarint an Stoici poetis dederint* auctoritatem, *id eſt*, amorem probando, fecerint, ut poetæ tam multa de amore, &c. *ad Q. Fr.* I. 3. *ſi quid mea ſpes* auctoritatis *habet.*

15. Ejus eſt *auctoritas*, qui primus legem ſcivit. *Dom.* 31. ſcilicet, quia reliquis eſt auctor legis ſciſcendæ, & primi ſuffragium plerumque tota prærogativa, ut prærogativæ cæteræ centuriæ, ſequuntur. *Vide* Prærogativa.

16. Voluntas jubentis, rogantis, hortantis. *de Or.* I. 23. auctoritatem *tuam negligere mihi fas non eſt*. *Verr.* II. 40. auctoritas *patris.*

17. *Off.* I. 26. *amicis major quam ante tribuenda* auctoritas, *hoc eſt*, plus eorum conſilio, quam ante utendum. Eſt ergo iſta *auctoritas*, cum quis dignus judicatur, qui conſulatur.

18. Literæ, tabulæ, & quicquid prodeſt ad faciendam fidem. Sic *Verr.* III. 62. auctoritates *civitatum*, ſunt literæ publicæ e tabulariis, & teſtimonia per legatos. *Ibid.* 71. auctoritates *ſocietatum*, ſunt tabulæ earum & literæ; quæ erant tanquam auctores furtorum Verris.

19. *Auctoritas* tribuitur etiam locis. Sic *Manil.* 1. de ſuggeſtu pro Roſtris, e quo magiſtratus cum populo agebant; auctoritatem *hujus loci nondum attingere potui*; quia ſcilicet ex eo loco populo fiebant auctores legum jubendarum, antiquandarum, &c.

20. *Auctoritas* eſt etiam eorum, quorum conſiliis, juſſis, voluntati libenter obedimus. *Senect.* 17. *non ſolum in ſententia*, *ſed etiam in nutu reſidebat* auctoritas. *Leg.* III. 15. auctoritatem *optimatium legem tabellariam abſtuliſſe*: quod hac perlata licebat in ſuffragiis ſuam voluntatem ſequi, non optimatium. *Ibid.* 17. *reliqua voluntas* auctoritati *traditur*, *aut gratiæ.*

21. Genus venditionis, cum venditor eſt auctor (*Vide* auctor n. 11.) & actione tenetur de evictione. *Har. reſp.* 7. *multæ domus ſunt jure optimo*, *jure privato*, *jure hereditario*, *jure* auctoritatis, *jure mancipii*, *jure nexi*. Hinc eleganter transfertur, ut

22. *Auctoritas* ſit eorum omnium, qui aliquid ſe feciſſe, aut fieri juſſiſſe, ſuaſiſſe profitentur. *Syll.* 11. *defugere* auctoritatem *conſulatus ſui*, id eſt, nolle fateri, ſe auctorem eſſe eorum, quæ in conſulatu facta ſint.

23. Jus rei ſuæ vindicandæ, *ſcilicet*, ipſa actio pro rei ſuæ evictione & vindicatione, cui locum facit illa altera auctoritas n. 21. *Cæcin.* 19. auctoritatem *fundi & uſum lex jubet eſſe biennium.* Confer *Top.* 4. *Off.* I. 12. *ejus rei æterna* auctoritas, *id eſt*, ſemper vindicari, evinci poteſt, nunquam uſu capi.

24. Eſt & imperatoris, quod milites ea faciunt, quorum auctor eſt, quæ jubet. *Phil.* III. 3. *legio* auctoritatem *Cæſaris perſecuta eſt*. Ad Fam. X. 28. *ſi legiones ſe ad Cæſaris* auctoritatem *contuliſſent.*

25. Nomina eorum, qui alicujus rei auctores ſunt. *Syll.* 13. auctoritates *principum conjurationis colligebat*, hoc eſt, qui eſſent principes conjurationis, quod, ſi eſſent magnis nominibus homines, facilius eſſent auctores Allobrogibus futuri, &c. *Nat. Deor.* III 4. auctoritates *contemnis*, *ratione pugnas*. *Orat.* III. 2. auctoritates *perſcriptæ*, ſunt nomina eorum, qui ſcribendo affuerunt SCto, & quorum nomina SCto præponuntur.

26. Poteſtas jubendi, ſtatuendi, &c. *Verr.* II. 49. *habet* auctoritatem *legum dandarum a ſenatu*. V. 58. *tantum ſibi* auctoritatis *ſuſcepit*, ſcilicet, ut juberet homines interfici. *Phil.* VIII. 8. auctoritatem *reip. ſecum attulerat*: eam poteſtatem habebat, quam ipſa reſpublica, ut ipſa adeſſe & cum Antiocho agere videretur. *Nat. Deor.* III. 35. *oratio hæc videtur* auctoritatem *afferre peccandi.*

27. Quæcunque & in quocunque genere vis. *Leg.* II. 7. *antiqua verba plus* auctoritatis *habent*. ad Fam. VI. 6. *conſtitui apud te augurii* auctoritatem, *hoc eſt*, tuæ prædictiones augurii vim habebunt. *Div.* I. 18. auctoritatem *vetuſtatis habet*, id eſt, valet, quia vetus eſt. *Ad Fam.* IX. 9. *preces meæ apud eum non minus* auctoritatis *habent*. Off. III. 30. *utilitatis ſpecies ab honeſtatis* auctoritate *ſuperata eſt*, hoc eſt, honeſtas plus valuit. *Ad Fam.* I. 7. auctoritatem *habet officii noſtra propugnatio potius*, *quam ſententiæ.*

28. *Auctoritas* eſt hominum honoratorum & potentium, quatenus veremur ipſos lædere, iis ne-

negare aliquid, &c. *Verr.* I. 48. *Ligur* (Senator) *non dubitabat, quin æquitate cauſæ & auctoritate ſua commovere hominem poſſet.* Ibid. *ad extremum petere cœpit, ne uſque adeo ſuam* auctoritatem *contemneret, gratiamque deſpiceret.*

29. Species & oſtentatio magnæ eruditionis & ſapientiæ, &c. *Div.* II 67. *de atomis Democriteis: Nec cognovi quemquam* (præter Democritum) *qui majore* auctoritate (audacius, fidentius) *nihil diceret.*

30. Pro ſolatio eſt *ad Fam.* VI. 6. *animum tuum hominis amiciſſimi* . . . auctoritate *confirmandum puto.*

31. Augurum auctoritas. *De Leg.* II. 12. *maximum jus eſt augurum, cum* auctoritate *conjunctum.* Ibid. *nihil ſine augurum* auctoritate *poſſe cuiquam probari.* Scilicet Augures ſunt auctores rerum gerendarum & omittendarum. Hinc auguria & auſpicia ipſa dicuntur, *de Har. reſp.* 9. *rerum gerendarum* auctoritates. Huc pertinet *religionum* auctoritas, qua reſpublica regi dicitur, *Div.* I. 40.

32. Ipſum decretum, & quod decretum eſt. *Leg.* II. 19. *Hæc jura Pontificum* auctoritate *conſecuta ſunt.* Ibid. 21. *maneret Pontificalis* auctoritas.

33. *Senatus auctoritas*; quanquam in genere eſt, voluntas ſenatus, & quicquid ſenatus decrevit, *approbavit*; tamen non una ejus eſt interpretatio. Cum enim Romulus ſenatum inſtituiſſet, ejus auctoritas omnis in hoc uno cernebatur, ut conſultus a rege, quid de quaque re videretur, diceret. Eo tempore igitur *auctoritas ſenatus* nihil erat, niſi *conſilium ſenatus*. Romulo mortuo, cum plebs novum regem creare cogitaret, idque patres impediri non poſſe viderent, ipſi regis creandi auctores fuere. Atque hic acceſſio aliqua auctoritatis Patrum facta eſt, quæ in hoc cernebatur, quod, primo comitia regis creandi haberentur *auctoribus patribus*, hoc eſt, *jubentibus* ſeu *permittentibus*, & quod in iis populus juſſerat, non valeret, niſi *patribus auctoribus*, hoc eſt, *probantibus*. Vide *Liv.* I. 17. His terminis, circumſcripta manſit auctoritas ſenatus, donec exacti reges eſſent, & iis ſucceſſiſſent conſules annui. Quo tempore non ſolum ad comitia auctoritas ſenatus pertinuit, ſed ad omnia, quæ publice vel a populo, vel a Conſulibus agerentur.

AUCTORAMENTUM. Pretium aut merces auctorati, *hoc eſt*, ejus, qui ſe ſua ſponte alicui in ſervitutem addixit, inprimis ad gladium. Nomen inde ductum, quod ſit ipſe auctor libertatis admittendæ. *Off.* I. 42. *Eſt enim illis ipſa merces* auctoramentum *ſervitutis.*

34. *Auctoritas* eſt idem ac Senator. *Quod brevi tempore futura ſit illa auctoritas in his majorum ſuorum, & ſuis ſedibus*: Marcel. 3. ſententia eſt: Quod is eximius Senator (M. Marcellus) propediem futurus ſit in hoc conſeſſu, in quo ejus majores olim, & ipſe antehac locum habuit.

## B.

BASILICÆ. Ædificia publica & magnifica, cujuſmodi erant circa forum, comitium, roſtra, ubi judicia exercebantur, &c. *Ad Att.* II. 14. Baſilicam *habeo, non villam, frequentia Formianorum*; ex quo ſatis intelligitur, baſilicas loca publica fuiſſe, quæ frequentia hominum celebrarentur.

BES. Octo unciæ. *ad Att.* IV. 15. *Fœnus ex triente factum erat* beſſibus. Fœnus Beſſibus eſt, cum ſingulis menſibus pro centum aſſibus, fœnoris loco, ſolvuntur duæ tertiæ aſſis, adeoque annis ſingulis octo aſſes pro centenis.

BESTIARIUS. Genus gladiatorum, qui cum beſtiis componuntur. Eorum mentio *Sext.* 64. *ad Q. Fr.* II. 6.

BONUS. *Sext.* 66. *Bona fama* bonorum, *id eſt*, optimatium, de quibus capiendum ſemper, cum de republica loquens *bonos viros* nominat. *De Or.* II. 54. bona *dicta*, ſunt facetiæ, joci acuti, ſales. *Verr.* I. 56. bonum *ſuo cuique facito*. Erat in lege Verris, quam redemptori operis publici præſcripſerat, & hanc vim habebat, ut ſingula genera materiæ bona eſſent.

BRACCATUS. *Piſ.* 23. Braccatæ *cognationis dedecus*. Cognatio *braccata* eſt cum hominibus e natione braccata Gallorum.

BULLA. Aurea bulla inſigne puerorum ingenuorum, cordis figura, quod e collo in pectus dependebat. *Verr.* I. 58. *ſine* bulla *venerat*. * In ornamentis valvarum commemorantur etiam *aureæ bullæ*. *Verrin.* IV. 56.

BUSTULARIUS. *Piſ.* 9. gladiator, qui ad buſtum alicujus depugnat, quod in honorem mortuorum fiebat.

## C.

CADERE. Dicitur de oratione in fine periodi. *Orat.* 69. cadit *oratio*. Brut. 8. *numeroſe* cadere.

*In aliquem cadere*, eſt, locum apud eum habere. *Tuſc.* III. 5. Cadit *in ſapientem ægritudo*. Ibid. *non* cadit *in conſuetudinem noſtram*.

De iis, qui in pugna intereunt. *Phil.* III. 14. Cadere *cum dignitate*.

Cauſam, litem perdere. *Muren.* 28. Cadere *in judicio*. *Ad Fam.* VII. 14. *cauſa* cadent.

De eventu rei. *Brut.* 40. *ſed ita* cadebat, &c.

Incidere. *Tuſc.* IV. 14. *non in omnem morbum animus ingenioſi* cadit.

Venire in poteſtatem alterius. *Verr.* V. 55. Cadere *ſub legum & judiciorum poteſtatem*. *Ad Att.* VIII. 3. cadendum *in unius poteſtatem*.

Everti fortunis. *ad Att.* XV. 15. *Turpius eſt privatim* cadere, *quam publice*.

CADUCUS. *Phil.* X. 5. *hereditas* caduca. *De Or.* III. 31. *poſſeſſio* caduca, *id eſt*, deſerta, quam nemo petit.

CALUMNIA. Lis, quam alicui ſine cauſa intendimus, ut ei moleſtiam, & periculum creemus. *Mil.* 27. Calumnia *litium fundos alienos petebat* ad Q. FR. I. 1. 8. *acerbiſſima miniſtra prætorum avaritiæ* calumnia. *Verr.* II. 27. *a quo HS. centena millia per* calumniam *malitiamque petita ſunt*. *Cæcin.* 7. Calumniam *obtrivit & contudit*. hoc eſt, terrorem litis improbæ.

Hinc ductæ etiam eæ formulæ, in quibus calumnia ſignificat actionem, judicium calumniæ, aut ſimile quid, cujus objectum eſt calumnia. *Cluent.* 59. Calumniam *non effugiet*, id eſt, calumniæ damnabitur. *ad Fam.* VIII. 8. Calumniam *ferre*, id eſt, damnari calumniæ.

Malitioſa, aut falſa ſaltem interpretatio. *Cæcin.* 21. *in frigida & jejuna* calumnia *deliteſcere*. Off. I. 10. *Exiſtunt injuriæ* calumnia. *Ad Fam.* VI. 7. Calumnia *timoris*, cum propter timorem omnia deterius interpretamur, omnia pejora fingimus.

Falſus prætextus, uti loquuntur, & quicquid dicimus aut facimus, ut alia de cauſa & aliud agere videamur atque agimus. *ad Fam.* I. 1. Calumnia *religionis*. De eadem re dicit *ad Q. Fr.* II. 2. *per obtrectatores Lentuli res* calumnia *extracta eſt*. Ad Att. IV. 3. *Metellus* calumnia *dicendi tempus exemit*, hoc eſt, longiori oratione, quæ, non quod opus erat, in ſententia dicenda, ſed ne SCtum fieri poſſet, adhibebatur. *Academ.* IV. 1. *Inimicorum* calumnia *tardius, quam debuerat, triumphavit*.

Captio. *Fat.* 14. *nec ullam adhibebat* calumniam.

Inanis reprehenſio. *Nat. Deor.* II. 7. *Effugiunt Academicorum* calumniam.

*Acad.* IV. 5. *Arceſilæ* calumnia, ſive impudentia, opponitur *verecundiæ Democriti*.

CALUMNIOR. Falſam litem intendo. *Verrin.* III. 15. Calumniandi *quæſtus*.

Tempus fictis cauſis ducere. *Red. in Sen.* 11. *meque, ſi diutius* calumniarentur, *redire juſſiſtis*. Quint. 21. *Jacet res in controverſiis, iſto* calumniante, *biennium*.

De iis, qui falſo omnia timent, propter timorem omnia pejora fingunt. *Ad Fam.* IX. 2. *Sed* calumniabar *ipſe, &c.*

CALX. Terminus curriculi in circo, qui calce aut creta olim notabatur: unde *Tuſc.* I. 8. *Video* calcem, *ad quam cum ſit decurſum, &c.* de Amic. 27. *e carceribus ad* calcem *pervenire*. Senect. 23. *a carcere ad* calcem *revocare*.

CAMPESTER. *Haruſp. R.* 20. Campeſtris *quæſtus*, eſt pecunia a candidatis accepta, a Campo Martio dicta, ubi magiſtratus creabantur. *Cæl.* 5. *ludus* campeſtris, eſt exercitatio corporis, cujus plura genera erant, quibus juvenes in Campo Martio utebantur.

CANCELLI. *Verr.* III. 59. Cancellos *alicui circumdare*, dicimur, cum cavemus, ne quis pro libidine ſua male facere poſſit, ducta dicendi ratione a beſtiis, quibus cancelli circumdantur, ne effugere, aut nocere cuiquam poſſint. * *Sext.* 58. cancelli *fori*, ſepta.

CANO. *Verr.* I. 20. *Agr.* II. 26. *Intus* canere. Proverbium in eos, qui omnia ad ſuam utilitatem referunt. Ducta dicendi ratio a ſtatua quadam citthariſtæ ſpeciem exhibente, qui intus caneret, hoc eſt, non dextra manu uteretur, & ab exteriori parte chordas plectro percuteret, ſed ſiniſtra tantum ab interiori parte chordas carperet, atque ita totam cantionem perficeret.

CAPITALIS. Pertinens ad caput: in quo caput agitur. *Verr.* II. 39. *rei* capitalis *reus*. Ibid. 28. *rerum* capitalium *quæſtiones*. Rabir. Perd. 9. *admittere fraudem* capitalem.

Hinc res periculoſæ, *capitales* dicuntur. *Fin.* IV. 12. *adverſarius* capitalis, &c.

Item pernicioſæ. *Off.* II. 21. capitalis *oratio*.

Scelerati etiam dicuntur *capitales*. *Offic.* III. 21. Capitalis *Eteocles, vel potius Euripides, &c.*

*Capitales* dicimus etiam ingenioſos. *ad Q. Fr.* II. 13. Philiſtus dicitur *Siculus* capitalis *ille, creber, &c.*

CAPUT. Decretum philoſophi. *Acad.* II. 32. *Ita nobis tacentibus ex uno Epicuri* capite, *altero veſtro, perceptio & comprehenſio tollitur*.

Summa. *Verr.* III. 35. *de* capite *aliquid demere*. Ibid. I. 4. *Aliquot nominibus de* capite, *quantum commodum fuerit, frumenti detraxit*.

Quod eſt in quaque re principium & ſummum, plurimumve valet. *Tuſc.* V 34. *ſe jure illo nigro, quod* caput *cœnæ erat, delectatum*. Orat. I. 33. Caput *eſt . . . quamplurimum ſcribere*. Ibid. II. 82. *ad conſilium dandum* caput *eſt*.

Auctor rei. *Flacc.* 18. caput *eſt Græcorum concitandorum Heraclides ille Temnites*. Planc. 23. *ſi quid ſine* capite *manabit, & cujus auctor non exſtet*.

Sed inprimis hæc ſignificatio & obvia & notanda eſt, cum caput dicitur pro hominis ſtatu, libertatis & civitatis jure, atque adeo vita. *Topic.* 4. *Si ea mulier teſtamentum fecit, quæ ſe* capite *nunquam diminuit*, hoc eſt, nunquam alicui nupſit; adeoque non tranſiit in aliam familiam, amiſſa priſtina; quæ eſt diminutio capitis minima. *Cauſæ capitis* porro, *res capitales, in quibus caput hominis agitur*, ſunt, cum aliquis in judicium vocatus eſt publicum, quo condemnatus locum in ſenatu, aut alia ſui ordinis commoda, *Orat.* I. 40. civitatem, libertatemve amittit, ſolum vertere cogitur, aut vitam adeo perdit, quod verbi gratia in cauſa perduellionis fiebat, provincialibus autem & peregrinis, item militibus etiam in aliis cauſis accidebat, prout erat legibus conſtitutum. Itaque quoties formula hujuſmodi apud latinos occurrit, ſemper de quibus hominibus, de quibuſque cauſis ſermo ſit, videndum, & quibus ex legibus cauſa agatur, iiſque quæ pœnæ propoſitæ fuerint. Nam ita demum, *capitis* quæ ſit vis, intelligi poterit.

Eſt ubi etiam *Caput*, pro ſola exiſtimatione & fama hominum ponitur, ut *Quint.* 2. *Ego qui* caput *alterius . . defendo*. Ibid. 9. *ut ante ſe ipſe* capitis *damnaret, ſi ſatisdediſſet*. In eadem oratione cauſa Quintiana *cauſa capitis* dicitur. Erat ea tamen privata, pecuniaria, in qua proprie caput non agitur. Sed quia Quintius vadimonii deſerti inſimulabatur, male autem audiebant, & negligentes diſſolutique putabantur, qui vadimonia deſeruiſſent, adeoque lites perderent, propterea capitis cauſa dicitur, in qua ſcilicet bona

Quintii fama laboret. Sic eſt etiam *Verr.* II. 40. Non autem proprie hic capitis verbum adhiberi, vel ex *Roſc. Com.* 6. intelligi poteſt: *Judicia ſummæ exiſtimationis: & pene dicam*, capitis.

CARMEN. Formula certa verborum ſolemnis. *Mur.* 12. *Prætori quoque* carmen *compoſitum eſt*. Rabir. Perd. 4. *crudeliſſimi cruciatus* carmina. Orat. I. 57. *in magiſtri* carmine. Eſt hoc loco *magiſter*, qui bonorum venditioni præeſt.

*Fin.* V. 15. *Sunt enim plurima elementa naturæ, quibus auctis, virtutis quaſi* carmen *efficitur*. Nempe elementa naturæ ſunt, ut ſinguli verſus, virtus eſt tanquam carmen ex iis compoſitum. Concentus virtutis.

CARPERE, deligere. *Sext.* 56. *floſculos undique* carpere *ac delibare*. Cluent. 46. *ſed* carpas, *ut velis*, id eſt, deligas in quem animadvertere velis.

*De Or.* III. 49. carpere *membris orationem*, hoc eſt, non uti comprehenſione verborum, ſed membratim cæſimque ſcribere.

Reprehendere. *Balb.* 26. Carpunt *non illo inimico, ſed hoc maledico dente*.

CAVEO. De Jureconſultis dicitur, cum litigantibus aut aliquid contrahentibus, ſive verbis, ſive ſcripto, oſtendunt, quomodo lis inſtruenda, reſque contrahenda ſit, ne cauſa cadant, aut decipiantur. *Mur.* 9. caves *ne tui conſultores decipiantur*. Ibid. *Servius hic nobiſcum urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi*, cavendi *ſecutus eſt*. Ad Fam. III. 1. De Valerio JCto: *melius ei* cavere *volo, quam ipſe aliis ſolet*. Confer *Cæcin.* 27. *de Or.* I. 48.

Hinc *cavere* dicuntur etiam 10. qui ſibi ſatisdari jubent in re aliqua. *Brut.* 5. *niſi prius a te* cavero, *amplius eo nomine neminem petiturum*. Confer *Verr.* II. 23. *Verr.* I. 54. *prædibus & prædiis populo* cautum *eſt*. 20. Qui aliquid excipiunt in formula pactionis, aut conditionem aliquam paciſcuntur. *Verr.* I. 11. *Viderunt in cautione, cum ita* caverent *ſi poſt Kal. Jan. in conſilium iretur*.

CAUSA. Res, de qua in judicio agitur, controverſia forenſis, quæſtio finita, Gr. ὑπόθεσις. ſcilicet, ut Cicero definit: *res quæ habet in ſe controverſiam, in dicendo poſitam, cum interpoſitione perſonarum certarum*. *De Invent.* I. 6. Confer *de Or.* II. 31.

*Cauſæ* forenſes autem ſunt vel *publicæ*, vel *privatæ*. *Publicæ* ſunt, quæ non ad privatum hominem, ſed ad univerſam rempublicam ejuſque ſtatum pertinent, quod ſcelera, de quibus agitur, ei aut directe nocent, ut peculatus, majeſtas, captæ pecuniæ, &c. aut exemplo & periculo publicæ ſecuritatis, ut parricidium, &c. *Privatæ* autem dicuntur, in quibus privatorum commodum unice agitur, ut de teſtamentis, hereditatibus, poſſeſſionibus, &c.

Neque vero ſolum de forenſibus controverſiis *cauſa* dicitur, ſed etiam de negotiis quibuſcunque, in quibus perſonæ certæ interponuntur; ut *Manil.* 2. cauſa *quæ ſit videtis*. Cauſa *inferior & ſuperior*, *Brut.* 8. eſt, quæ vincitur, & quæ vincit.

*Cauſa* dicitur etiam, in quocunque alicujus verſatur utilitas. *Orat.* I. 34. cauſa *imperii*. Leg. III. 4. *cauſa* populi.

Partes etiam dicuntur *cauſa*, propterea, quod ſuas quæque pars cauſas habet & affert, quare aliquid faciat, petat. *Marcell.* 1. *in eadem* cauſa *eſſe*.

Conditio. *Off.* I. 31. *Alia in* cauſa *M. Cato fuit, alia cæteri*.

Quod quis petit, contendit; quod, quicquid petitur, aut contenditur, certis de cauſis petitur & contenditur. *Ligar.* 11. Cauſas *apud te rogantium gratioſiores eſſe, quam vultus*.

De ratione juſta & æqua quare aliquid fit; cauſa idonea. *Verr.* I. 8. *Cum* cauſa *accedere ad accuſandum*. Ad Attic. VII. 3. Cauſam *illa cauſa non habet*.

Pro eo, quod certa & idonea de cauſa fit. *Quint.* 15. *Omnes* cauſæ *& neceſſitudines veteres intercedebant*; hoc eſt, omnes cauſæ ſuppetebant, propter quas amici eſſe alteri debemus & ſolemus.

Prætextus, *Dom.* 5. *in bona fortunaſque locupletium per* cauſam *inopum . . . repentinos impetus comparares*.

Excuſatio, *ad Att.* XI. 7. *tuas* cauſas *noſco*. Ad Fam. XVI. 19. *accipio* cauſam. *Verr.* I. *omen magis patribus, quam* cauſa *placuit*. Ibid. II. o cauſam *ſingularem! o defenſionem miſeram!* ad Fam. VIII. 8. *De militibus* cauſæ *cognoſcantur*, ſcilicet, propter quas mitti volunt.

CAUTIO. Formula JCTI, quo cavetur alicui. *Orat.* 41. *In juris ſcientia eſt perſecutionum* cautionumque *præceptio*.

Hinc eſt etiam formula pactionis in genere, quod ea is ſibi cavet, qui pactionem facit. *Verr.* I. 11. *Nam ita in* cautione *eſſe viderunt, cum ita caveretur, &c.*

Literarum obligatio, qua nobis a debitore cavemus. *Dom.* 50. cautiones *fiebant pecuniarum*. ad Fam. VII. 18. Cautio *chirographi*.

Omnis res, qua nobis in quacunque re cavemus, ne quid fiat, quod factum nolimus. *Sext.* 7. *Hunc Pompejus omni* cautione, *fœdere, execratione devinxerat, nil contra me eſſe facturum*.

*Off.* I. 14. *habet res multas* cautiones, *hoc eſt*, in ea re multa cavenda & providenda ſunt.

Declinatio rei prudenter inſtituta. *Tuſc.* IV. 6. *a malis natura declinamus: quæ declinatio, ſi ratione fit*, cautio *appellatur*. Ad Fam. XI. 21. *quæ* cautionem *non habent, de iis non laboro*.

CENSEO. Vocabulum proprium Senatorum, cum ſententiam dicunt in Senatu. *Phil.* III. 15. V. 15.

*Cenſere* eſt etiam in cenſum deferre apud Cenſorem. *Flacc.* 32. *in qua tribu prædia* cenſuiſti? Ibid. *Si aliena* cenſendo *ſua facere poſſet*. Act. I. *in Verr.* Act. 18. cenſendi *cauſa*. *Flacc.* 32. *Sintne iſta prædia cenſui* cenſendo? *hoc eſt*, an poſſint a nobis in cenſum deferri. In cenſum autem deferri poſſunt poſſeſſiones, quæ ſunt mancipi & juris civilis.

Hinc, qui & nomen & rem apud Cenſorem defert, *cenſeri* dicitur, *ad Att.* I. 18. *Flacc.* 32.





CENSUS. Cenſoris actio cenſendi. *Sext.* 47. Cenſu *prohibere*, dicitur Cenſor, cum aliquem, quia civem eſſe non putat, bona ſua in cenſum deferre non ſinit. *Cluent.* 48. *cum in equitum* cenſu *Sacerdos prodiiſſet*.

Tabulæ cenſoriæ. *Arch.* 5. Cenſus *noſtri*.

Pro re familiari dici, notiſſimum eſt.

CENTESIMÆ (partes ſortis,) uſuræ, ſunt, cum ſinguli aſſes in menſem ſolvuntur pro centenis, unde fiunt duodeni in annum. *Verr.* III. 70. Centeſimis *binis fœnerari*, id eſt, acceptis duobus aſſibus pro centenis in ſingulos menſes. Unde facile intelligi poteſt, quæ ſint ternæ & quaternæ centeſimæ. *ad Att.* VI. 2. Centeſimæ *perpetuæ* ſunt, cum adjiciuntur quotannis ſorti, ſine anatociſmo. Vide *Att.* V. 21.

*Centeſimæ*, de quibus dictum, ſunt vectigal privatum; ab his differt *centeſima*, quæ eſt vectigal publicum. *Ad Brut. ep.* 18. Hæc *centeſima* ſolvitur ex rebus venalibus, & ærario militari infertur.

CENTUMVIRI. *Cæcin.* 24. Sunt aſſeſſores judicii centumviralis. *Judicium centumvirale* dicebatur a numero judicum rotunde enunciato; nam judices erant omnino centum & quinque; cum ex ſingulis tribubus terni deligerentur. Ad ejus judicii notionem pertinebant cauſæ plurimæ, quas enumerat Cicero de *Or.* I. 38. & præſertim hereditariæ.

CENTURIÆ. Dicuntur partes populi aut exercitus. Nam cum populus a Servio in claſſes ſex deſcriptus eſſet, cuique claſſi etiam certus numerus centuriarum attributus eſt. Neque centum præciſe homines continet, nam ultima claſſis, in qua aliquot millia fuiſſe certum eſt, una centuria continetur. Sed centuria eſt cujuſque numeri aut multitudinis nomen, ut decuria; quorum verborum hoc tantum diſcrimen eſt, quod decuria de ordine nobiliorum hominum dicitur, ut, decuriæ judicum; centuriæ, de ignobilioribus plebejiſque.

*Conficere* autem *centurias alicui*, eſt, facere, ut eum renuncient.

CENTURIARE. Eſt, in centurias deſcribere, ad centurias redigere homines, ſcilicet, ut militent. *ad Att.* XVI. 9. Centuriat *Capuæ, dinumerat*, &c.

CENTURIATUS, *a, um*. Comitia centuriata ſunt e Servii Tullii inſtituto, in quibus aut leges a magiſtratibus majoribus feruntur, aut magiſtratus majores, exceptis ædilibus curulibus, creantur. Dicebantur ita, quia populus in centurias diſtributus ſuffragia ferebat ex ordine claſſium.

CENTURIATUS. Locus Centurionis. *Piſ.* 36. centuriatus *palam venditos*.

CIRCULATOR. *ad Fam.* X. 32. Circulator *auctionum*, eſt circumforaneus, qui cum ſcrutis & undique collectis mercibus fora obit, & congeſtas res auctionibus vendit. Eodem modo circulatores dicuntur medici circumforanei.

CIRCULUS, Conventus privatus hominum colloquendi cauſa. *De Or.* I. 34. *quemcunque patremfamilias arripuiſſetis ex aliquo* circulo. *Ibid.* 38. *cum in* circulo *decipiare adverſarii alicujus ſtipulatiuncula*. Balb. 26. *in conviviis rodunt, in* circulis *vellicant*.

CIRCUS, Eſt ædificium publicum in oblongam, & ab altera parte rotundam formam, ab altera rectam extructum, in quo ludi equeſtres, qui inde circenſes dicuntur, habebantur. Medius Circus diremptus erat, *ſpina*, ad cujus extremitates, ubi flectebant aurigæ curſum, *metæ* collocatæ erant. Ab ea parte, a qua curſus initium fiebat, olim linea recta creta deſcribebatur, intra quam ante ſignum datum equi cohiberentur, poſtea carceres perpetui extructi.

CIVILIS. Jus civile, 1. opponitur naturali, adeoque & privatum & publicum jus complectitur. *Sext.* 42. *nondum neque naturali, neque* civili jure *deſcripto*.

2. Opponitur juri publico. *Verr.* I. 42. *Cornelia teſtamentaria, nummaria*, & *cæteræ, in quibus non jus novum aliquod populo conſtituitur, ſed ſancitur, ut, quod ſemper malum facinus fuerit, ejus quæſtio ad populum pertineat ex certo tempore. De* jure *vero* civili, *ſi quis novi quid conſtituit, &c.* Nam in hoc loco manifeſte a jure civili removentur cauſæ publicæ & quæſtiones. Ex quo intelligitur, ſenſu Ciceroniano ne Criminalia quidem, quæ hodie vocantur, ad jus civile pertinere. Eſt enim civile jus nullum aliud niſi privatum. Itaque lege de re aliqua, quæ ad civile jus pertinebat ante, lata, ut ejus quæſtio in poſterum ad populum pertineret, ea juris publici eſſe incipiebat. Sed adjiciamus alium locum e Cicerone, pro Cæcin. 2. *ſimul illud futurum arbitrati ſunt, ut in hac cauſa non de improbitate Sext. Æbutii, ſed de* jure civili *judicium fieri videretur. Improbitas* hoc loco eſt vis, quam Æbutius Cæcinæ ejuſque advocatis fecerat. Ea erat cauſa publica in judicio publico, ex lege de vi armatis hominibus, diſceptanda, adeoque juris publici; *Judicium* autem *de jure civili*, eſt de poſſeſſione, quod eſt privatum. Cæterum ipſa definitio juris civilis, quæ a Cicerone traditur, totum hoc quod diximus confirmat. Jus civile *eſt*, inquit, *æquitas conſtituta, iis, qui ejuſdem civitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas*. Topic. 2.

*Cæcil.* 5. *Nam civibus cum ſunt ereptæ pecuniæ*. civili *fere* actione, *& privato jure repetuntur*. *Civilis actio* eſt, qua utitur civis non modo contra civem, ſed quemcunque, a quo ei injuria facta eſt; ea autem eſt juris privati, non in omnibus cauſis, ſed in pecuniariis cæteriſque privatis. Sic *de Orat.* I. 11. civiles *controverſiæ*, ſunt forenſes in cauſis privatis.

*De Or.* III. 16. *cum a re* civili *& a negotiis animi quodam judicio abhorrerent*, hoc eſt, cum neque rempublicam capeſſere, neque in foro verſari vellent. *Ibid.* 31. civilis *ſcientia*. Ibid. I. 14. *Rerum* civilium *cognitio*, eſt ea ſcientia, qua opus eſt ei, qui rempublicam capeſſere, & in judiciis verſari cupit. Unde *de Invent.* I. 15. civilis *ratio*, eſt ars, cujus in civitate magnus eſt uſus. Item *Orat.* 9. Oratio *civilis*, quæ aut in ſenatu, aut in concione, aut in judiciis habetur

ad cives & de rebus civilibus, in qua negat obſcuras abditaſque ſententias locum habere, reprehenditque Thucydidem, qui iis conciones referſerit.

*Milon.* 13. *Quid enim odiſſet Clodium Milo, præter hoc* odium civile, *quo omnes improbos odimus? Odium civile* eſt, quale impune erga cives exercere licet, remotum a vi & armis. Sic *vis civilis* eſt, qua uti poſſunt cives in poſſeſſionibus, cui opponitur *vis vera*.

*Civilis* eleganter dicitur, qui equo jure omnes cives ſecum eſſe patitur, neminem contemnit, nihil ſibi præcipui arrogat, verbo, ita in omnibus rebus ſe præbet, ut, cæteros quoque cives eſſe, videatur meminiſſe. Nam qui aliter agit, homines *liberos non putare* dicitur, ut Verr. I. 47. Fin. V. 23. *Cum ſic hominis natura generata ſit, ut habeat quiddam innatum quaſi* civile *atque populare; quod Græci* πολιτικὸν *vocant; quicquid aget quæque virtus, id a communitate, & ea, quam expoſui, caritate atque ſocietate humana non abhorrebit, &c.*

*Ad Fam.* XI. 28. *pro* civili *parte*, id eſt, quantum civis pro ſua parte & poteſt & debet.

CLASSIS. De partibus civium, in quas deſcripti a Servio cenſus cauſa erant, dici paſſim, notum eſt. Sed hinc ducitur ea ratio, cum ad ſignificandam hominum præſtantiam & contra adhibetur. Sic claſſici autores dicuntur præſtantiſſimi, quod ditiſſimi erant in prima claſſe, in qua qui erant, κατ' ἐξοχὴν claſſici dicebantur, ut Gellius docet. Huc pertinet illud *Acad.* IV. 23. *qui mihi, cum illo collati, quintæ* claſſis *videntur*, hoc eſt, ultimæ. Nam ſexta, in qua capite cenſi, non numerabatur.

COACTOR, dicitur, qui in auctionibus pecunias cogit, quæ ab emptoribus ſolvendæ ſunt, & eſt fere argentarius, *Cluent.* 64. Sed & dicitur de omnibus, qui in quocunque negotio cogendæ pecuniæ miniſtri ſunt.

COEMPTIO. *Flacc.* 34. *Or.* I. 56. Genus matrimonii ineundi, ſive ritus, quo in viri manus feminæ conveniebant. Illud certum eſt, emptionem quandam imaginariam in hac coemptione interveniſſe: qualis autem, & quibus verbis & ritibus peracta ſit, non ſatis certo conſtat. Ab hac autem coemptione, plane diverſa eſt ea, de qua *Muren.* 12. *Senes ad* coemptiones *faciendas*. Hoc enim genus comparatum erat ad ſacra interimenda, ut Cicero ait. Nempe heres, qui hereditatem ſine ſacris habere cupiebat, eam vendebat ſeni per æs & libram, venditione imaginaria. Hæc res hanc vim habebat, ut quoniam ſenex bona haberet, non ut hereditatem, ſed ut empta, bona ea libera ſacris eſſent. Ut autem redderet ſenex domino hereditatem facta emptione, ſtipulatione cavebatur. Cave autem hos ſenes confundas cum ſenibus coemtionalibus.

COEMPTIONALIS, *Ad Fam.* VII. 29. *Senes* coemptionales, ſunt ſervi, qui ſinguli propter ſenectutem pretium nullum inveniunt, juncti autem aliquid.

COGNITOR eſt, qui nobis teſtis eſt, eſſe nos eos, quos dicimus eſſe, & confirmat nos ſibi cognitos eſſe, *Verr.* I. 5. *Civem Romanum, qui* cognitores *honeſtos daret, ſublatum eſſe in crucem*.

Jam quia hujuſmodi homines ſunt ei, cujus cognitores ſunt, auctores & defenſores, cognitores etiam dicuntur auctores & defenſores. Sic *Cat.* IV. 5. *Auctor &* cognitor *ſententiæ*, dicitur qui ſe ejus ſententiæ profitetur auctorem.

Hinc imprimis *cognitor* dicitur, qui præſentis cauſam in controverſia civili agit, quemadmodum abſentis *procurator*.

COHORS. *Ad Q. Fr.* I. 14. *Verr.* II. 4. Cohors *prætoris*. ſcilicet provincialis, ſunt comites ejus, præfecti, ſcribæ, medici, accenſi, haruſpices, præcones.

In re militari autem *cohors prætoria*, aliam vim habet, ut *Catil.* II. 10. Eſt enim cohors, quæ ad cuſtodiam corporis prætori, ſive imperatori, attributa eſt.

COITIO. *Ad Q. Fr.* II. 15. Coitio *Memmii*. Ibid. III. 1. *in candidatorum conſularium* coitione. Hæc eſt illa *coitio*, propter quam de ambitu condemnatus exulavit Memmius. *ad Fam.* XIII. 1. Eſt enim *coitio*, cum homines congregantur rei malæ perficiendæ, tanquam tribuum corrumpendarum cauſa. Confer *Haruſp. R.* 26.

COLUMNA. *Sext.* 8. *adhæreſcere ad* columnam. *Columna Menia* in foro fuit, ad quam Triumviri capitales de furibus & ſervis ſupplicia ſumebant. *Adhæreſcere ad columnam* igitur eſt, propter æs alienum ad Columnam Meniam deduci, nec ſolvere debitum poſſe. Allegoria ducta ab his, qui in columnis maritimis adhæreſcunt, hoc eſt, ad eas illiſi naufragium faciunt.

COMITIA. *Ad Q. Fr.* II. 15. Comitia *gratuita*, in quibus nulla largitio verſata eſt. *Red.* II. 11. Comitia *juſta* ſunt centuriata. *Verr.* I. 7. *mea* comitia, *hoc eſt*, in quibus petitor fui. *Verr.* II. 52. *Comitia* etiam de electione ſacerdotis per ſortitionem in Sicilia facta dicuntur. *Cæl.* 8. Comitia *Pontificia* ſunt creandis Pontificibus, in quibus Pontifices creantur. Sic *Conſularia*, *Prætoria*, *&c.*

COMITIALIS. *Ad Q. Fr.* II. 2. *dies* comitiales, *hoc eſt*, per quos comitia habentur, aut haberi poſſunt. Sic *Verr.* II. 52. *menſis* Comitialis.

COMITIUM. *Brut.* 84. *Verr.* I. 19. *Div.* I. 17. Locus in foro Romano, ubi *coibant comitiis curiatis & litium cauſa*, unde & nomen duxit.

COMMODUM. *de Fin.* V. 21. *prima naturæ* commoda, ſunt habilitates propenſioneſque, quæ primæ ſe in hominibus exerunt, tanquam ſtudium ſciendi, cum hominibus verſandi, &c.

Quod nobis commodatum eſt. *Verr.* IV. 3. *Qui forum* commodis *hoſpitum, non furtis nocentium ornarent*.

COMPERENDINARE. *Act.* I. *Verr.* 11. Eſt jubere reum iterum adeſſe, ut cauſa ſecunda vice agatur, & quidem in diem perendinum.

CONDITIO, Status hominis. *Off.* I. 13. *Infima* conditio *eſt ſervorum*.

Voluntas alterius, id quod nobis præſcribitur, &c. *Verr.* III. 62. *venire ad* conditiones *alicujus*: pro facere, quod quis vult. *Quint.* 6. *perduceret eum ad ſuas* conditiones.

Pactio.



Pactio. *Act.* I. *in Verr.* 6. *manſit in* conditione. Confer *Quint.* 22.

JUS. *Quinct.* 28. conditione *pari uti*. Verr. I. 54. Conditione *optima* eſſe dicuntur in redimendo, qui præcipuum aliquod jus habent redimendi, ut ad ipſos potius, quam ad alios res redimenda perveniat. *Agr.* III. 2. *optima* conditione *prædia*, pro quo dicitur ſæpiſſime *optimo jure*.

*Verr.* II. 59. *optima* conditione *locare*, eſt quam minimo pretio. *Q. Fr.* II. 2. *bona* conditio de emptione. *Ad Att.* XII. 3. *Vecteni* conditio *ſemiſſe*, verſura a Vecteno ſub uſuris ſemiſſibus.

Natura rei. *Marcell.* 4. *a quo* conditio *viſque victoriæ devicta eſt*. Ibid. 3. *quæ naturam &* conditionem, *ut vinci poſſent, habebant*.

Pactio, cautionibus & ſyngraphis facta: pecuniæ, vel gratiæ promiſſio. *Ad Q. Fr.* I. 1. 2. *nullius pecuniæ* conditione *ab integritate deduci*. Manil. 23. *quibus* conditionibus, *quibus jacturis homines in provincias proficiſcantur*.

Similis uſus hujus vocis eſt, cum ponitur pro *nuptiis*, quia fiunt ſub conditione dotis, ſive pro femina, quam uxorem ducimus, dotis ratione habita. *Amic.* 10. *uxoria* conditio *Phil.* II. 38. *filiam ejus, ſororem tuam, ejeciſti, alia* conditione *quæſita & ante perſpecta*.

Hinc deinde & ſimpliciter dicitur & de feminis & viris, quibuſcum concumbitur, etiam extra conjugium. *Cæl.* 15. Clodia dicitur *conditiones legere*, hoc eſt, adoleſcentes, viros, quibuſcum cubet.

CONFUSIO. *Mur.* 23. *ſuffragiorum* confuſio, eſt, cum non ex cenſu ſuffragia feruntur, & centuriæ numerantur, a prima claſſe facto initio, ut fieri ex inſtituto Servii ſolebat, ſed cum ſuffragia omnium claſſium & centuriarum numerantur, ut primo cujuſque civis ſuffragium eandem vim habeat, deinde neſciatur, quis quemque ſuffragio ſuo Conſulem aut Prætorem crearit. Id ut fieret, ambitus tollendi cauſa, poſtularat Servius Sulpitius, & hanc Cicero appellat *æquationem gratiæ, dignitatis, ſuffragiorum*.

CONSCRIPTUS, *Patres* Conſcripti. Dicitur pro *Patres & Conſcripti*, ut docet *Liv. l.* II. *c.* 1. *Patres* ſunt ii, qui ſunt generis patricii; *Conſcripti*, qui novo Bruti inſtituto ex equeſtri ordine, qui poſtea ſeminarium ſenatus fuit, ſenatui adſcripti ſunt.

CONSTITUERE. *Verr.* I. 1. Conſtituere *accuſationem*, dicitur actor, cum ea comparat, quæ ad accuſationem ſunt neceſſaria. *Part.* 9. *fidem* conſtituere, eſt, facere, ut fides habeatur. *Muren.* 5. *ex Aſia laus familiæ* conſtituta eſt, *id eſt*, comparata. *Rabir. Perd.* 2. *Or.* I. 9. Conſtituere *rempubl.* dicuntur qui legibus aliiſque rationibus, malis reipubl. ingraveſcentibus medentur. *Agr.* II. 5. *a Gracchis video multas eſſe reip. partes* conſtitutas; multas leges eſſe, ut judiciarias, frumentarias latas reipubl. ſalutares. *Marcell.* 8. conſtituenda *judicia* pro reſtituenda.

*Conſtituere* dicuntur, qui de re aliqua paciſcuntur, inter quos de re aliqua convenit. *Ad Att.* I. 7. *Cincio H-S. viginti millia* conſtitui *me curaturum*.

CONTESTARI. Proprie eſt teſtem aliquem in re aliqua facere hac formula: *teſtis eſto*. Unde *litem conteſtari* ad Att. XVI. 15. *Roſc. Com.* 11. eſt, cum adverſarius uterque, qui controverſiam ad Prætorem detulerat, judicio diſceptandam, cauſa expoſita breviter & narrata Prætori, dicebat præſentibus: teſtes eſtote.

CONTORQUERE. Dicitur proprie de eo motu haſtæ aut cujuſcunque jaculi, quo ei majorem vim atque impetum addimus, ut rotatione gladii. Atque is motus eaque agitatio fit, pro ratione jaculorum, aut manu, aut machina aliqua, quæ hinc tormentum dicitur. Exempla copioſe ſunt apud poetas. Hinc fit, ut quicquid celerius movetur, & fertur, quicquid vehementius propter brevitatem aut celeritatem pronunciationis ferit, quæ acutiores ſunt brevioreſque concluſiones, quibus pene reſiſti, quamvis falſis, tamen non poteſt, id omne *contorqueri*, *contortum* dicatur. Exempla ex præcipuis generibus hæc ſunto: *Nat. Deor.* I. 10. Globus dicitur *magna celeritate* contorqueri. *Or.* II. 17. *qui* (ſcilicet homo vel animus) *tanquam machinatione aliqua, tum ad ſeveritatem, tum ad remiſſionem animi, tum ad triſtitiam, &c. eſt* contorquendus. *Orat.* 70. *Demoſthenis non tam vibrarent fulmina illa, niſi numeris* contorta *ferrentur*. Tuſc. III. 26. de Æſchine in Demoſthenem invehente: *quas ſententias colligit? quæ verba* contorquet? *ut licere quidvis rhetori intelligas*. Divin. II. 51. *Videſne igitur, quæ dubia ſint, ea ſumi pro certis atque conceſſis? deinde* contorquent, *& ita concludunt: Non igitur, &c.*

CONTORTE. *ad Her.* I. 9. *Invent.* I. 20.

Inter præcepta narrandi eſt: *ne quid perturbate, ne quid* contorte *dicatur*, hoc eſt, obſcure. Sic *Or.* I. 58. *res* contortæ *& difficiles*. Eſt autem de eo genere obſcuritatis quod ex nimia brevitate oritur, quod oratio nimis brevis citius, quam intelligi poteſt, prætervehitur. *Tuſc.* III. 10. commemoratis brevibus & aptis inter ſe concluſionibus Stoicorum: *hæc concluduntur* contortius *a Stoicis*.

CONTUBERNALIS. *Ligar.* 7. *domi una eruditi*, contubernales *militiæ*, ſunt qui ſimul ſtipendia faciunt, & in caſtris in eodem tentorio ſub eodem decano degunt. *Planc.* 11. *Fuit in Creta poſtea* contubernalis *Saturnini propinqui ſui, miles hujus Q. Metelli*. Confer *Syll.* 15.

Imperatorum autem contubernales, ſunt adoleſcentes nobiles, qui in cohorte Prætoria militant, ut, quoniam ea eſt circa imperatorem, ſub ejus oculis ſint, cum eo eſſe, ab eo erudiri in re militari poſſint, ejus conſiliis interſint. *Cæl.* 30. *Cum autem paulum roboris acceſſiſſet ætati, in Africam profectus eſt, Q. Pompejo Proconſuli* contubernalis.

Ab his duobus generibus aliæ dicendi rationes ductæ. Sic *Brut.* 27. *L. Gellius Carbonis* contubernalis *in conſulatu*, dicitur, quia eum ſectatus eſt in conſulatu, more adoleſcentum, qui ſe ad inſignem aliquem virum applicabant, ut ab

eo

eo diſcerent, ejus conſiliis de republica intereſſent. *Ad Att.* XIII. 28. Contubernalis *Quirini* dicitur Cæſar, cui, ut Romulo, divini honores tribuebantur. *Flacc.* 17. contubernales *Lælii*, vocat, quos paulo poſt *hoſpites* dicit, &c.

CONVENIRE. In aliquem convenire dicitur, quod ad eum pertinet, in eum cadit, ei aptum eſt. *Roſc. Am.* 23. *ſuſpicio* convenit *in aliquem*. Syll. 7. *contumelia ad maximam partem civium* convenit. *Fin.* III. 14. *ſi cothurni laus eſſet, ad pedem apte* convenire.

Conſtare, conſentire, *Tuſc.* V. 11. *quam ſibi* conveniat. *Fin.* III. 22. *poſterius priori non* convenit.

Res convenit, eſt, componitur pacificatione, &c. *Ad Att.* IX. 6. *dumque rem* conventuram *putamus*. Phil. XIII. 1. *Si* conveniſſet, ſcilicet, pax inter Syllam & Scipionem. *Leg.* I. 20. *Si nollent ætatem in litibus conterere, poſſe rem* convenire.

*In manum convenire*, Top. 3. dicuntur uxores, quibuſcum aut uſu aut coemptione matrimonium contrahitur. *Flacc.* 34. *Mulier* in manum convenerat. *Nunc audio. Sed quæro: uſu, an coemptione?* hic eſt locus claſſicus.

*Verr.* II. 15. *Adverſarii poſtulant, ut in eam rem judices dentur ex his civitatibus, quæ in id forum* convenirent; quod ſcilicet eo conveniebant, cum conventus prætor ageret, quibus aliquid controverſiæ eſſet. *Vide* Conventus.

Cluent. 43. *Neminem voluerunt majores noſtri non modo de exiſtimatione cujuſquam, ſed ne pecuniaria quidem de re minima eſſe judicem, niſi* qui *inter adverſarios* conveniſſet. *Pro*, de quo conveniſſet. Eodem modo dicitur illud, quod ſupra attulimus: *res convenit, &c.*

CONVENTUS. Corona auditorum in judiciis. *Brut.* 62. *minime dignos elegantis* conventus *auribus, aptiſſimos cognovi turbulentis concionibus*. Sext. 56. *Scio, quid gravitas veſtra* (ſcilicet judicium) *quid hæc advocatio, quid ille* conventus, *&c. poſtulet*.

Pactum. *ad Att.* VI. 3. *ex pacto & conventu ab aliquo diſcedere*. Cæcin. 8. *ex* conventu, *&c.*

Dies, quo magiſtratus provincialis in civitate certa jus dicit quæſtioneſque cauſarum capitalium exercet. Or. ἀγόραιος, Hinc *Verr.* V. 11. conventus *agere* IV. 48. Conventus *indicere*, *&c.* Confer *ad Fam.* III. 8. Vatin. 5. &c. Ducta eſt ratio inde, quod homines qui aliquid controverſiæ habent, audiendi cauſa his diebus in foro convenire ſolent. Unde & ipſam coronam auditorum judicialem, conventum dici vidimus.

Ab his conventibus ipſæ urbes in quibus agebantur, quæ *fora* dicuntur, etiam *conventus* dicuntur. *Verr.* II. 20. *Res ab omni* conventu *cognita celeriter domum nunciatur*. Sermo eſt de urbe Syracuſana. *Lig.* 8. conventus *firmi atque magni*.

In primis autem *conventus* dicuntur cives Romani, qui in ejuſmodi urbe negotiandi cauſa domicilium ſibi conſtituerunt. *Verr.* II. 13. *ex civium Rom.* conventu. *Ibid.* V. 36. *is eſt* conventus *Syracuſis civium Rom.*

CORONARIUS. *Agrar.* I. 4. *quod ad quemque imperatorem pervenit, pervenerit, ex præda, ex manubiis, ex* auro coronario, *quod neque conſumptum in monumento, neque in ærarium relatum ſit*. Ex quo loco intelligitur præclare, ad imperatorem pervenire ſolitam fuiſſe primo eam partem prædæ, quæ populi eſſet, adeoque in ærarium referretur, deinde aliam partem, quam in monumento aliquo, tanquam templo, quod voviſſet, ante quam paludatus ex urbe exiret, conſumeretur; tertio *aurum coronarium*. Id habet nomen a *corona*; quoniam dabatur imperatori a provincialibus, ut in corona aurea triumphali conſumeretur, ſi triumphus ei eſſet decretus. Cum a provincialibus exigebatur, erat genus exactionis, honeſto nomine, adeoque legibus non prohibitum omnino, ſed re plerumque durum & iniquum. Confer *Agrar.* II. 22. *Piſon.* 37.

CRETIO. Eſt ſpatium temporis, quod datur heredi a teſtatore ad deliberandum, utrum velit hereditatem adire, nec-ne.

CURIA. Pars triceſima civitatis Rom. in quas partes triginta Romulus eam deſcripſerat. *Dom.* 29. *Si id* xxx. curiæ *juſſiſſent, num id juſſum eſſet ratum*.

Ædes, ubi ſacra curiæ faceret flumen curiæ, qui Curio dicebatur, & ubi curiales convenirent de rebus communibus acturi. *Divin.* I. 17. *Lituus cum ſitus eſſet in* curia Saliorum.

Locus conſilii publici, ubi ſenatus conveniebat, ſive nomine ducto ab illo curiarum genere, de quo ante dictum eſt; ſive, quod non eſſent ab iis diverſæ. Certe non una Romæ curia Senatoria fuit. Sed *κατ' ἐξοχὴν* tamen curia dicitur ea, quæ erat in foro, a Tullo Hoſtilio ante comitium extructa. De hac Cic. *Flacc.* 24. *Speculatur atque obſidet Roſtra vindex temeritatis, & moderatrix officii*, Curia.

Hinc tropice etiam ponitur pro ipſo *Senatu*, auctore Cic. *Orat.* III. 42.

CURIATUS. *Agr.* II. 11. Curiata *comitia tantum auſpiciorum cauſa remanſerunt*. Curiata comitia ſunt, quibus ex inſtituto Romuli per curias ſuffragia feruntur. *Ad Att.* II. 7. *legis* curiatæ *auſpices*, ſunt, qui in auſpicio fuere, dum lex curiata ferebatur.

CURULIS. *Sella* curulis. Fuit ante regum, poſt magiſtratuum majorum, puta, Conſulum, Cenſorum, Prætorum & Ædilium Curulium; in qua cum in publico eſſent, conſiderent. Ab hujus ſellæ uſu dicti ſunt *ædiles curules*, ut diſtinguerentur a plebejis.

## D.

DECISIO. Pactio, tranſactio, atque adeo conditio tranſigendi. *Roſc. Com.* 13. *poſt* deciſionem *veterem*. Flacc. 36. Deciſionis *arbiter*. Provinc. Conſ. 4. *pactiones pecuniarum cum tyrannis*, deciſiones, *&c.* Verr. I. 54. *negat eum ſibi illa* deciſione *ſatisfacere poſſe*.

DECUMANUS. *Verr.* III. 6. *ager* decumanus, *hoc eſt*, pro quo decumæ dantur.

Pu-



Publicanus, qui decumas a populo redemit. *Verr.* III. 8. II. 13. III. 48. II. 71. Decumani *principes & quaſi ſenatus publicanorum*. Scilicet, quemadmodum honeſtiſſimum, de more Romano, genus rei quærendæ eſt agricultura, ſic etiam inter publicanos honeſtiſſimi, qui decumas conduxere.

Magnus. *Fin.* II. 8. *Acipenſere cum* decumano. In ruſticis ſunt *ova, poma decumana*.

DECURIA. Tabula, ſive album, in quo ſenatorum nomina ſcripta, qui judicia adminiſtrare debent, ſive claſſis judicum. In decurias etiam diſtributus erat ordo ſcribarum, reliquorumque miniſtrorum, qui magiſtratibus apparebant.

DECURIARE. In decurias conſcribere, quod faciebant, qui, tribuum largitione corrumpendarum cauſa, coitiones faciebant, unde de ſodalitiis rei. Plane ſic etiam eſt *centuriare*, de quo ſupra.

DECURIO. Senator municipalis, aut colonicus. *Roſc. Am.* 9. 39. *Sext.* 4. *ad Fam.* VI. 18. *&c.*

DEFERRE. Proprie eſt ad locum quemcunque portare. *Verr.* IV. 57. *Ita factus animo & corpore, ut multo appoſitior ad* deferenda, *quam ad auferenda ſigna eſſe videatur*.

Hinc pro *narrare*. Fin. II. 17. *ad amicos rem ita* deferret. *Verr.* I. 25. *Is ad eum rem iſtam* defert.

Etiam Clientes dicuntur *cauſam deferre* ad patronos, quod alio modo *docere* dicitur, *Or.* III. 13.

*Defert* etiam *rem*, qui deliberandi cauſa ad alios de re aliqua refert. *Verr. Itaque decumanos convocat: rem* defert: *ſtatuunt illi* &c.

*Defertur* etiam *res*, auxilii petendi cauſa. *Ad Fam.* V. 8. *ut intelligeres, nihil neque te ſcripſiſſe, neque quemquam tuorum fruſtra ad me* detuliſſe.

Accuſator *nomen defert*, ſcilicet, ad prætorem, ejus, quem accuſare ſuſcepit, ut illud inter eos ſcribat, quod eſt *recipere nomen*. Roſc. Am. 3. *non nihil tamen in* deferendo nomine *ſecuti*. Sed non ſolum hominis nomen *defertur*, verum etiam *criminis nomen*; propterea, quod non ſolum nomen rei edendum apud prætorem eſt, quem accuſare aliquis conſtituit, ſed etiam crimen, cujus eum accuſaturus eſt. *Verrin.* II. 28. *Inimici... ejuſdem* rei nomen deferunt, *ſcilicet*, capitalis.

*Deferunt* etiam calumniatores. *Agr.* III. 1. *quæ apud vos de me* deferunt; unde *delatores* dicuntur.

Dicitur & pro *ultro offerre*, *conferre*. Verr. V. 70. *dormientibus beneficia* deferre. *Ad Fam.* VI. 22. *Voluntatem ſuam ad aliquem* deferre. Confer *Phil.* II. 20. *Rabir. Poſt.* 17. *totum te ad me cum tuis copiis* detuliſti.

Dare, committere. *Ad Att.* VI. 1. *præfecturam* deferre *alicui*. Ad Fam. XIII. 55. Deferre *alicui legationem*. Ad Att. XIII. 12. *tibi præconium* deferam.

Eleganter eſt pro commendare aut reipublicæ, aut magiſtratui provinciali aliquem, ut ad honores eum provehat. *Ad Att.* V. 7. *ait Pompejus, quinos ſe præfectos* delaturum. *Ibid.* 11. *præfectos, quos voles*, deferto.

Ellipſis τῦ *ad ærarium* eſt in hac forma; *rationes deferre* pro *referre*. Ad Fam. V. 20. *quanquam juſtis de cauſis rationes* deferre *properarim*; nam apud ærarium deponebantur rationes provinciales. Sic *Phil.* V. 5. deferre *nomina judicum ad ærarium*, hoc eſt, deponere.

Sic *SCta deferri* dicuntur, pro *referri*. Nam quod *ad Fam.* XII. 29. eſt: *falſa ſenatus-conſulta tum* deferebantur, pro eo *ep.* 1. eſt: *Senatus-conſulta falſa* referuntur: int. ad ærarium, ibi enim SCta ſervabantur.

Dom. 5. malum *delatum*, opponitur *nativo*.

DENARIUS. Eſt nummus qui, cum ſeſtertius duos aſſes cum dimidio valebat, decem aſſes valebat: poſtea ſedecim, cum unius ſeſtertii quatuor aſſes erant. Reſpondet Græcorum *drachmæ*. Quint. 4. *Decidis, ſtatuiſque tu quid iis* ad denarium *ſolveretur*: hoc eſt, quid & quantum ſolvendum eſſet, ſi pro nummis Gallicis, qui erant in rationibus, & debebantur, ſolverentur nummi Romani; quantum efficeretur, ſi ſumma nummorum Gallicorum, quæ debebatur, ad denarios redigeretur. *ad Att.* II. 6, opponuntur *denarius & Ciſtophorus*, hoc eſt, nummi Aſiatici & Romani.

DEPOSITUS. Deſperatus. Proprie de ægrotis, quos medici deponunt, quod deſperant curari poſſe. *Verr.* I. 2. Depoſita *Reip. pars*.

DEROGARE. Eſt nova rogatione aliquid de ſuperiore lege demere. Dicitur autem ordinarie *derogare legi* vel *de lege*. Fragm. Cornel. I. *lex derogatur*. Eſt ſic etiam metaphorice, *Quint.* 23. fides *multis locis cognita, ne perfidia Nævii* derogetur, *laborant*.

DESCENDERE dicuntur Romani honeſtiores, cum in forum, curiam, campum eunt, quod ii ſolebant in montibus habitare, qui ſalubrius habitabantur; ea loca autem in vallibus inter montes erant.

Item in univerſum, cum in publicum prodeunt. *Phil.* VIII. 2. *Conſul ſe cum præſidio* deſcenſurum *dixit* Phil. II. 6. *hodie non* deſcendit *Antonius*.

Hinc etiam ducta videntur hæc. *Cæl.* 1. deſcendere *ad accuſationem*. Muren. 28. deſcendere *ad accuſandum*.

*Deſcendere aliquo* dicuntur qui ſtatuunt ea facere, quæ inviti faciunt, ad extrema veniunt, ad quæ demum venitur, cum leniora non ſufficiunt. *Verr.* I. 38. *quo ego vellem* deſcenſuros, *hoc eſt*, graviſſima ſe facturos. *Ad Fam.* X. 33. Deſcendere *ad extrema*. ad Att. IX. 18. *Ad omnia* deſcendere, eſt omni vi & acerbitate uti. *ad Fam.* VIII. 8. *alteram ad conditionem* deſcendere *vult. Cæſar.* * Verr. II. 72. *placet mihi iſta defenſio*: deſcendo.

DESCRIBERE. Dividere, diſtribuere in partes. *Agr.* II. 29. *in jugera dena* deſcribat.

Dialectici dicuntur *deſcribere*, cum formas & genera rerum conſtituunt. Sic *Rab. Poſt.* 15. *deſcripta*, opponuntur *univerſis*.



Ab

Ab hac dividendi ſignificatione multæ formulæ dicendi ducuntur, quas ita poſſis interpretari, ut nulla diviſionis mentio fiat; ſed ſemper ad diviſionem aliquam reſpicitur. Sic *Verr.* V. 25. Deſcribere *civitatibus ſummas pecuniarum*. ad Fam. XII. 1. *pecuniæ maximæ* deſcribuntur. *ad Q. Fr.* I. 1. *vectigal* deſcribere. In quibus omnibus *deſcribere* reddi poteſt, *imperare*: ſed ita ut intelligas, imperatum eſſe ita, ut ſit conſtitutum ſimul, quantum quæque civitas daret. *Offic.* I. 34. *jura* deſcribere, idem eſt, quod *jura dare*, *conſtituere*; ſed propterea *jura deſcribere* pro *dare* dicitur, quia in juribus dandis diſcrimen ſervatur ordinum, ætatum, &c.

*Deſcribere* eſt etiam *definire*; unde, de quo *definire* dici poteſt, de eodem etiam *deſcribere* dicitur. *Or.* I. 49. Deſcribere *finibus ingenii ſui*, &c.

*Deſcribere* dicuntur etiam mathematici, cum formas geometricas ſcribunt. *Senect.* 14.

*Deſcribere* aliquem dicunt, qui eum quidem non nominant, ſed ita de eo loquuntur, ut facile intelligi poſſit, de quo ſermo ſit. Unde pro *innuere*, *ſignificare*. In qua ratione dicendi ſæpe accedit iſta vis, ut contumeliæ cauſa id fieri innuatur. *Ad Q. Fr.* II. 3. *Craſſum* deſcripſit. *Mil.* 18. *Videlicet illi me latronem* deſcribebant. *Syll.* 29. *quia ſunt* deſcripti *conſulares*, hoc eſt, ab accuſatore oratione deſignati. *Piſon.* 28. *non mehercule contumeliæ cauſa* deſcribam *quemquam*, *præſertim ingenioſum*, &c. Phil. II. 44. *Iſta tua minime avara conjux*, *quam ego ſine contumelia* deſcribo.

DESCRIPTIO. Diſtributio. *Offic.* I. 7. *privatarum poſſeſſionum* deſcriptio. *Flacc.* 14. *in* deſcriptione *æquabili ſumptus*. Off. I. 27. *eſt decori* deſcriptio *duplex*, hoc eſt, in duas formas diſtribuitur.

Ordo, qui ſcilicet ab apta diſtributione rerum & partium pendet. *Off.* I. 39. *Ædificandi* deſcriptio. *Or.* II. 9. *aut ſi via ulla traditur* deſcriptionis *atque ordinis*. Senect. 17. *atqui ego iſta ſum dimenſus*, *mei ſunt ordines*, *mea* deſcriptio: *multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ*. Sext. 65. deſcriptio *civitatis*. Leg. III. 2. *Magiſtratuum* deſcriptione *omnis reipubl. moderatio continetur*.

*Deſcriptio* etiam dicitur eodem modo, ut *deſcriptus*, cum homines centuriantur & decuriantur, de quibus ſuo loco dictum eſt. *Planc.* 18. *Decuriatio tribulium*, deſcriptio *populi*, *ſuffragia largitione devincta*.

De formis geometrarum, *Tuſc.* I. 17. *niſi quid erat numeris aut* deſcriptionibus *explicandum*.

DESTITUTIO, In re pecuniaria eſt, cum aliquis pecuniam, quam pollicitus eſt, ſe daturum, non dat. *Quint.* 5. *hac* deſtitutione *perculſus*, &c. Vide *ibid.* cap. 16. & *Cluent.* 26.

DETESTARI. Deprecari, a ſe aut ab alio demotum cupere, deprecando, negando, aut alia ratione. *Catil.* I. 11. *ut prope juſtam patriæ querimoniam a me* deteſter *ac deprecer*.

Hinc malis auſpiciis & ominibus dicitur, cum ea dicimus, quibus mala impendentia averti poſſe credimus. Et quoniam illa deteſtatio auſpicii & ominis fit avertendi mali cauſa, propterea dicitur pro *avertere*, adeoque etiam de diis ipſis, cum ſit proprie hominum, *Phil.* IV. 4. *O dii immortales! avertite &* deteſtamini *quæſo hoc omen*.

DEVOVERE. Proprie idem eſt, quod *vovere*. Vide *Off.* III. 25. Deinde eſt certis ritibus ſe morti, ſive Telluri & diis manibus conſecrare, pro ſalute reipubl. & pernicie ejus aliqua & calamitate avertenda: de quo eſt locus claſſicus *apud Liv.* VIII. 9. 10. *Fin.* II. 19. *cum ſe Decius* devoveret. Unde illi etiam *caput ſuum devovere* dicuntur, qui ſe, aut periculis maximis intrepide pro patria objiciunt, ut faciunt illi, qui ſe devoverunt. *Red.* I. 1. *Cum me fortunaſque meas pro veſtra incolumitate*, *otio*, *concordia* devovi; aut votum faciunt, in quo caput ſuum, tanquam pro hoſtia, Diis offerunt, cujus exemplum egregium eſt pro *Dom.* c. 57. Ducitur hinc etiam luſus ille Ciceronis. *Phil.* XI. 6. *Vidi etiam P. Decii auctionem: qui majorum ſuorum veſtigia perſequens*, *pro alieno ſe ære* devovit.

DIBAPHUS. Veſtis bis tincta, primo cocco, deinde purpura, qua utebantur ſacerdotes. *Ad Fam.* II. 16. *Curtius* dibaphum *cogitat*, *ſed eum infector moratur*. Ad Att. II. 19. *Strumam Vatinii ſacerdotii* dibapho *veſtiant*.

DICA. Γραφή, actio, quæ alicui intenditur. *Verr.* II. 15. *Scribitur Heraclio* dica. *Ibid.* Dicas *ſortiri*, eſt forum agere, & cum dicitur *dicam ſortiri*, eſt judices dare ſortitione.

DICIS *cauſa*. Verr. IV. 24. *At tamen ut poſſit ſe emiſſe dicere*, *Archagatho imperat*, *ut aliquid illis nummulorum*, dicis cauſa, *daret*, hoc eſt, in ſpeciem, ut imago ſaltem emptionis eſſet. *Muren.* 12. *Sed anne tu* dicis cauſa *vindicaveris*, de vindiciis imaginariis, hoc eſt, de vi civili illa & imaginaria.

DICTATA. Sunt theſes, præcepta, decreta, quæ a magiſtris artis alicujus diſcipulis ſcribenda traduntur, ut ab iis ediſcantur. Et quoniam hujuſmodi dictata non adeo ſolent aut debent eſſe acuta & ſubtilia, in iis acquieſcere, iis uti, in contemptu habetur. *De Nat. Deor.* I. 26. *Iſta enim a vobis tanquam* dictata *redduntur*.

DIES. Dicitur ſæpe & variis modis de die certo & conſtituto: ut de die, qui agendis cauſis in foro dictus eſt. *Verr.* II. 15. Diem *differt dicis omnibus*. Imprimis de die ſolutionis. *Planc.* 28. *cum cujuſque* dies *venerit*. Confer *ad Att.* XVI. 15. *Tuſc.* I. 39. *nulla* die (ſolutionis) *præſtituta*. Quint. 23. *nominis* diem *petivit*. Ad Att. VIII. 10. Dies *nondum eſt*. Ad Att. X. 5. dies *pecuniæ Id. Novemb.* ad Fam. VII. 23. dies *annua*, eſt dies ſolutionis, quæ eſt exacto anno uno. Porro de certis morborum diebus, quibus ſcilicet febris accedit, dicitur. *Ad Att.* IX. 2. *etſi Non. Mart.* die *tuo*, *ut opinor*, *expectabam epiſtolam a te longiorem*, &c. Contra XIII. 42. de natali; diem meum *ſcis eſſe* III. *Non. Jan.* 4. Att. 16. Et *Orat.* 13. *cum* dies meus *venerit*, pro die mortis.

Tempus, ſpatium temporis. *Act.* I. *in Verr.* 2. diem perexiguam *poſtulavi*. *Tuſc.* III. 22. Dies *procedens mitigat ægritudinem*. Ad Fam. I. 6. *ut infringatur inimicorum improbitas* ... *ipſa* die.

Pro eo quod in die fit. *Ad Fam.* I. 2. *Hic* dies *nobis honeſtiſſimus in ſenatu fuerat*, hoc eſt, quæ eo die in ſenatu acta ſunt, nobis honeſtiſſima fuere. *Ad Att.* X. 8. *non tam dirus ille* dies *Syllanus C. Mario fuiſſet*.

*In diem* vivere, habet fere ſemper aliquam incuriæ & negligentiæ ſignificationem. *Orat.* II. 40. eſt ſimpliciter futuri curam non habere: *ſi barbarorum eſt*, in diem vivere, *noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent*. Tuſc. V. 11. Academici eleganter dicuntur *in diem vivere*, quod ita ipſe interpretatur Cicero: *quodcunque noſtros animos probabilitate percuſſit*, *id dicimus*. Ei objectum erat, ſe in alio libro aliter ſenſiſſe; reſpondet, Academicos non curare, quid aliquando ſtatuerint, aut olim ſint ſtatuturi.

*In diem* etiam aliter dicitur, & opponitur τῷ *ſtatim*. Petit. c. 12. *Si promittas*, & *incertum eſt*, in diem (ſcilicet promitte) *ſin autem id neges*, & *certe abalienes*; ſtatim.

Phil. II. 33. *alio* die. Eſt formula, qua obnunciatio fiebat in comitiis.

*Phil.* III. 8. *in ante* diem IV. *Kal. Dec.* Confer *Catil.* I. 3. &c. Idem eſt, ac ſi diceretur in diem IV. ante Kalendas Dec.

DIPLOMA. *Ad Fam.* VI. 12. *ad Att.* X. 17. *Piſ.* 37. Ita dicebant literas publicas, quæ profecturis dabantur, ut in oppidis per quæ iter eſſet, magiſtratus operam darent, ut celeriter equos & quæ ad iter ſunt neceſſaria, reperirent.

DIRIBERE. Diſtribuere. *Fr. Corn.* I. *dum tabellæ* diribentur, *dum ſitula defertur*. Piſ. 40. *an ego expectem*, *dum de te* LXXV. *tabellæ* diribeantur, *de quo jampridem omnes mortales judicaverunt*.

DIRIBITOR. Diſtributor, genus operarum comitialium & judicialium, quæ tabellas diſtribuebant.

DISCESSIO. Genus ſententiæ in ſenatu declarandæ, cum dictis ſententiis ab iis, qui eo loco eſſent, ut ſententiæ dicendæ jus haberent, ſi eam eſſent rogati, conſules juberent reliquos ſenatores diſcedere ad eum locum, ubi eſſet alicujus ſententiæ pronunciatæ auctor. *Ad Fam.* I. 4. *nemo eſt*, *qui neſciat*, *quo minus* diſceſſio *fieret*, *per adverſarios tuos eſſe factum*. Sext. 34. diſceſſio *ſine ulla varietate*. Phil. III. 9. *SCtum de ſupplicatione per* diſceſſionem *fecit*, *cum id factum eſſet ante nunquam*. Vide *Gell.* III. 18.

DISSIPATUS. *Diſſipata* dicuntur, quæ non ſunt ad artis formam redacta. *Or.* II. 33. *jus civile*, *quod nunc fuſum &* diſſipatum *eſt*, *in certa genera cogere*, & *ad artis formam redigere*.

Opponuntur numeroſis. *Or.* 71. *facilius eſt apta diſſolvere*, *quam* diſſipata *connectere*.

*Brut.* 59. de oratore: *in inſtruendo* diſſipatus: qui inventa non ordine & apte diſponit.

DISSOLVERE. In re pecuniaria, ſolvere debita, variiſque modis dicitur. *Verr.* III. 75. 77. diſſolvere *alicui pecuniam*. Planc. 28. diſſolvere *nomen*, id eſt, *pecuniam*. Verr. V. 13. *damna quæ ætatis fructu* diſſoluta & *compenſata* ſunt.

Sed dicuntur etiam, qui diſſolvunt pecuniam & nomen, *diſſolvi*. Catil. II. 8. diſſolvi *nullo modo poſſunt*.

Depaciſci, imprimis in re pecuniaria. *Roſc. Com.* 18. diſſolvere *pro ſua parte*.

Hinc etiam ad alia transfertur. Sic *ad Att.* XV. 11. diſſolvere *vota*.

Refellere. *Or.* II. 38. *dialectici multa inveniunt*, (intellige, ſophiſmata) *quæ ipſi non poſſunt* diſſolvere. *Tuſc.* III. 30. *utrumque* diſſolvitur. *Roſc. Am.* 29. diſſoluta eſt *criminatio*. Div. II. 15. *hoc erat*, *quo ego non rebar poſſe* diſſolvi. *At quam feſtive* diſſolvitur.

Tollere. *Cæcin.* 14. *periculoſum eſt*, diſſolvi *hoc interdictum*.

DISSOLUTUS. Nimis negligens: opponitur ſevero & juſto. *Catil.* I. 2. diſſolutus *in reip. periculis*. Verr. V. 3. *maluiſſe Domitium crudelem in animadvertendo*, *quam in prætermittendo* diſſolutum *videri*. Ibid. III. 57. *judicium* diſſolutum *ac perditum*.

Opponitur *numeroſo*. Orat. 57. *Poema nimis eſt vinctum*, *ut de induſtria factum appareat*: *alterum* (ſermo vulgi) *nimis* diſſolutum, *ut pervagatum ac vulgare videatur*.

Item *apto*. Off. I. 35. *nec hiſtrionibus concedendum*, *ut iis hæc apta ſint*, *nobis* diſſoluta.

In re familiari *attento* opponitur. *Quint.* 11. *quis tam* diſſolutus *in re familiari fuiſſet*, *quis tam negligens*. Ibid. 12. *quis tam perditus ac profuſus nepos ſic* diſſolutus *fuiſſet*.

*Diſſolutum* etiam dicitur, quod non eſt ad artis formam redactum. *Or.* I. 42. *adhibita eſt ars* ... *quæ rem* diſſolutam *divulſamque conglutinaret*, &c.

DIVINE. De divinatione rerum futurarum, cui eventus reſpondet. *Div.* I. 55. *Multa* divine *præſenſa & prædicta reperiri*. Ad Att. X. *nunquam de rep. niſi* divine *cogitavi*, hoc eſt, quæcunque prædixi in rep. eventura, evenerunt.

DIVINITAS. Natura divina, Deus. *Div.* II. 11. *Quod animus arriperet aut exciperet extrinſecus ex* divinitate, *unde omnes animos hauſtos haberemus*.

Divinatio. *Div.* II. 38. *extr.* de populis barbaris, a quibus divinatio inventa putabatur: *placet igitur humanitatis expertes* divinitatis *auctores habere*.

DIVINITUS. De divinationibus, cui eventus conſentit. *Orat.* I. 6. *multa* divinitus *a tribus illis conſularibus deplorata narrabat*, &c.

*Verr.* III. 76. divinitus *in fraudem incidere*, hoc eſt, pœna quadam a Deo immiſſa.

DIVINUS. Qui præclare aliquid facit. *Q. Fr.* II. 8. *Senatus frequens* divinus *fuit in applicatione deneganda*.

Vates. *Div.* II. 3. *qui* divini *habentur*. Confer *ad Att.* X. 4.

*Res divina*, pro ſacrificio; *Div.* II. 10. *nihil levari re* divina *poteſt*. Ibid. *omnia levius caſura*, rebus divinis *procuratis*.

Fin. II. 12. *Scientia* divinarum & *humanarum rerum*, eſt definitio ſapientiæ, ſive philoſophiæ, in qua *res divinæ* ſunt phyſica, quæ & theologiam naturalem, quam vocant, ex veteri partitio-

tione, complectitur. *Res humanæ* autem dialectica & doctrina de moribus dicuntur. *Orat.* 34. manifeſte *divina* dicuntur pro *phyſicis*.

Porro *res divinæ & humanæ* ſic accipi debent aliquando; ac ſi dicas, *quidquid omnino eſt*. Sic *amicitia* Læl. 6. *eſt omnium* divinarum humanarumque rerum *conſenſio cum benevolentia & caritate*; quod quale ſit, explicat ipſe *c.* 17. init. *His igitur finibus utendum arbitror, ut cum emendati mores amicorum ſint, tum ſit inter eos* omnium rerum, conſiliorum, voluntatum *ſine ulla exceptione communitas*. Huc pertinet etiam illud, quod *cap.* 18. dicit, amicum oportere eſſe *conſentientem, ut iiſdem rebus moveatur*.

DIVISOR dicitur, cui mandata eſt in coloniarum deductione & ex lege Agraria agrorum inter colonos diſtributio. *Phil.* V. 7. XI. 6.

*Diviſores* ſunt etiam inter operas campeſtres in comitiis, per quas tabellæ tribubus diſtribuuntur, iidem, qui *diribitores*.

DUCERE. Dicitur abſolute, pro, in carcerem, ſive domeſticum, ſive publicum, ducere. *Agr.* II. 37. *ne mihi in carcere habitandum ſit, ſi trib. pl.* duci *juſſiſſet*. Flacc. 19. *quem judicatum* duxit *Hermippus*, hoc eſt, cum judicatum eſſet, eum ſolvere oportere, neque poſſet, ab Hermippo abductus eſt domum in carcerem. Sic *Verr.* II. 12. *Si non accipit, quod te debere dicis, accuſes: ſi petit*, ducas. *C. Fuficium* duci *juſſit petitorem, &c.* Ibid. 29. *quiſquis erat eductus Senator Syracuſanus ab Heraclio*, duci *jubebat. Itaque permulti* ducti ſunt.

In rationibus pecuniariis *ducere* eſt de ſumma, quæ efficitur ſingulis nominibus colligendis. *Verr.* III. 49. *quoniam XC. millia medimnum* duximus, &c. *Ad Att.* VI. 2. *ut fœnus quaternis centeſimis* ducant. Hinc ad alia transfertur; cujuſmodi eſt hoc: *Quint.* 16. *officii & exiſtimationis* rationem ducere, pro habere. Confer *Verr.* I. 48.

E.

EDICERE. Dicitur frequenter de magiſtratibus, cum aliquid aut ſcripto publice propoſito, aut voce, jubent aut conſtituunt, pronunciant, in eo genere, in quo poteſtatem habent. *Ad Q. Fr.* I. 1. 9. *prætorem* edicere, *ut fiat aliquid, &c.* Ad. Att. XI. 7. *Antonius* edixit, *ita ut me & Lælium exciperet*. Vat. 14. edixeritne *prætor* ... *ut adeſſes die triceſimo*. Fam. XI. 6. *cum tribuni pl.* edixiſſent, *adeſſet ſenatus a. d.* XIII. *Kalend. Jan.* Verr. I. 54. *nondum proſcripta neque* edicta *die*.

Hinc dicitur pro *conſtituere* & publicare, ſive publice proponere. *Verr.* III. 7. Cenſores dicuntur *legem*, ſcilicet, vectigalium locandorum, *edicere*, hoc eſt, publice proponere, ut cognoſci conditiones locationis poſſint. *Offic.* III. 20. *Marius a ſubſelliis in roſtra recta, idque, quod communiter compoſitum erat, ſolus* edixit.

Eſt etiam interdum pro ſimplici *dicere, pronunciare, proferre, narrare*. Or. 39. *Nullus fere in Demoſthene locus ſine conformatione ſententiæ e*dicitur. *Amicit.* 16. *Si prius* edixero, *quid maxime Scipio ſit ſolitus reprehendere*.

EDITITIUS. *Planc.* 15. edititii *judices*. Confer. *Muren.* 23. Sunt, qui ab accuſatore eduntur, non a prætore ducuntur ſorte.

EDO, *Edere*. In rebus forenſibus multipliciter dicitur. *Planc.* 15. *tribus* edere, dicitur accuſator, cum ex lege de ſodalitiis, quas tribus judices eſſe velit apud prætorem profitetur; unde *judices edititii*. Quint. 21. Judicium *id, quod* edat, *accipere*, id eſt, quodcunque genus actionis intendat, ſe paratum eſſe deſcendere cum eo in certamen: id dicitur *edere judicium*, quia apud prætorem pronunciat, quod genus actionis intendere, & quod judicium ſibi dari velit petitor. *Ibid.* 20. *judicium acciperet, in ea ipſa* verba, *quæ Nævius* edebat. *Verr.* III. 29. *quantum* edidiſſet *ſibi deberi*, hoc eſt, profeſſus eſſet. Sic *teſtes edi* dicuntur ſæpiſſime, cum accuſator eorum nomina profitetur apud prætorem. *Verr.* II. 42. *Poſtulata* edere, dicuntur provinciales, cum ea ad Conſules deferunt. Item *in poſtulatis* edere *aliquid*. Quint. 24. *Socium in his bonis tibi* edidiſti *Quintium*, id eſt, profeſſus es.

EJURARE. *Iniquum ejurare* eſt, rejicere aliquem, quia iniquum nobis putamus: e foro petita ratio. *Verr.* III. 60. *Negotiatores putant eſſe turpe, id forum ſibi* iniquum ejurare, *ubi negotientur: prætor provinciam ſuam totam ſibi* iniquam ejurat. *Phil.* XII. 7. *Sic me iniquum* ejurabant: *de me querebantur*.

Bonam copiam ejurare. *Ad Fam.* IX. 16. *tu autem quod mihi* bonam copiam ejures, *nihil eſt*. Eſt autem formula e foro, qua ſignificatur, aliquem juraſſe, creditoribus ſe ſatisfacere non poſſe. Quod cum factum eſſet, perſona debitoris pignori capiebatur, & creditori addicebatur.

EMANCIPARE parentes dicuntur liberos, cum eos e patria poteſtate emittunt, ut, aut ſui juris ſint, aut ab alio adoptentur, in cujus patria poteſtate ſint. *Dom.* 14. *adoptatum* emancipari *ſtatim, ne ſit ejus filius, qui adoptarit*. Fin. I. 7. *filium in adoptionem D. Silano* emancipaverat.

Hinc *emancipari alicui* eleganter dicitur, quod eſt alteri in poteſtatem traditum, addictum, noſtraque voluntate obnoxium. Seneſt. 11. *Si ſenectus nemini* emancipata *eſt*. Phil. II. 21. *tum iſte vend'tum atque* emancipatum *tribunatum conſiliis veſtris oppoſuit*.

EVOCATI. Sunt milites, qui ſtipendia legitima fecere, ſed precibus commoti caſtra alicujus ſequuntur. *Ad Fam.* III. 6. *præfectus* evocatorum.

EXARARE. Proprie eſt, arando eruere. *Div.* II. 23. exaratum *eſſe, Deum dicam an hominem?* Leg. II. 23. *ſepulcra* exarata *ſunt*. Unde deinde *exarari* dicitur, quod agro colendo quæſtus in frugibus capimus. *Verr.* V. 38. *tantum labore ſuo frumenti* exarabant.

De ſcribentibus cum dicitur, extemporalem ſcriptionem & ſubitam ſignificat. *Ad Att.* XIV. 22. *ſtatim hoc neſcio quid* exaravi. *Ibid.* XVI. 6. *ſtatim novum proœmium* exaravi, &c. Confer *ad Fam.* XII. 20. IX. 26. &c.





EXCITARE. Teſtem in judicio ad dicendum teſtimonium vocare. *Rabir. Poſt.* 12. *in judicio Gabinii tertio quoque verbo* excitabantur. *Negabant Gabinio pecuniam datam*. Hinc etiam de aliis, quos teſtimonii aut exempli cauſa adducimus. *Tuſc.* V. 23. excitabo *homunculum a pulvere & radio*.

EXHEDRA, *ſive* EXHEDRIUM. Locus in porticibus, villarum imprimis, pluribus inſtructus ſedibus, ut ibi conſideri, diſputandi cauſa, poſſit. *Or.* III. 5. *Fin.* V. 2. *ad Fam.* VII. 23.

EXIGO. In re pecuniaria eſt creditorum, & quibuſcunque pecunia debetur. *Flacc.* 34. Exigendi *cauſa legationem liberam ſumere*. Fin. II. 22. *ex rebus voluptatem, quaſi mercedem* exigit.

*Exigere* dicuntur etiam qui curatores alicujus rei ſunt, cum aut jubent fieri aliquid, aut, factum a redemptoribus iiſve, qui debebant, perſpiciunt, probandi cauſa, aut reprehendendi. *Verr.* I. 59. Exegiſti *viam thenſarum & pompæ*. Ibid. 40. 50. Exigere *ſarta tecta*. Inde hoc ducitur: *Verr.* III. 46. Exigere *diligentiæ penſum*.

Agere. *ad Fam.* X. 24. *de his rebus, ut* exigeret *cum eo, Furnio mandavi*.

EXIMERE. Diem eximere, eſt impedire, ne quis quid eo die agere poſſit. Quaſi tollere diem & eripere alicui. *Ad Q. Fr.* II. 1. *Diem dicendo* eximere; id fiebat in ſenatu, cum in ſententia dicenda data opera multum temporis conſumebant, & aliena quoque dicebant, ut ſol occideret ante, quam Senatus-Conſultum fieri poſſet, quo facto, SCtum fieri non poterat.

EXPEDIRE. In re pecuniaria eſt, ſolvere debitum. *Ad Att.* XVI. 6. *nomina ſua* expedire. *Ibid.* XII. 29. *ſi* expediatur *illud Faberianum*, ſcilicet, nomen, ſi Faberius pecuniam ſolvat.

Milon. 4. *omnis honeſta ratio eſſet ſalutis* expediendæ, *hoc eſt*, defendendæ & in tuto collocandæ.

EXPEDITUS. In re pecuniaria eſt, certus. *Ad Att.* XIII. 29. Expeditum *nomen*. ad Fam. I. 3. *in provincia tua multa habet, &* expedita *negotia*.

Ad Att. XI. 1. *fidem* expeditam *relinquere*; quod fit ſolvendis debitis aut promiſſis ad diem.

Paratus. *ad Fam.* XI. 24. *pecunia* expeditiſſima *quæ erat, tibi decreta eſt*. ad Fam. X. 25. *Video autem, Planco conſule, etſi etiam ſine eo* rationes expeditas *haberes, tamen* &c.

EXTRAORDINARIUS. *Roſc. Com.* 1. *Verr.* II. 70. Extraordinariæ *pecuniæ*, ſunt, quas, quia injuſtis & turpibus modis conciliatæ ſunt, non audemus in tabulas acceptorum referre, ne ex iis convici poſſimus.

Ad Fam. VIII. 8. *reus* extraordinarius, eſt, de quo quæſtio extra ordinem habenda eſt, *hoc eſt*, relictis cæterorum criminum quæſtionibus. Nam quæſtiones eo fere ordine habebantur, quo erant crimina delata, niſi lege cautum eſſet, ut ejus criminis, quod delatum eſſet, cæteris omnibus præverteretur.

*Verr.* V. 14. Extraordinariæ *cupiditates*, opponuntur *naturæ ac neceſſitati*.

Ad Att. V. 9. *munus* extraordinarium. *Br. ep.* 4. Extraordinarii *honores* ſunt, qui non perpetui ſunt in republica, ſed aut urgente aliqua neceſſitate, aut alia de cauſa gravi, per SCta aut leges conferuntur, aut qui alicui per legem aliquam tribuuntur, cum ex lege annali aut aliis legibus, ex quibus ordinarii honores mandantur, fieri non poſſit.

EXTREMUS. Periculoſus. *Rab. Perd.* 2. extrema *tempora*.

Primus. *Manil.* 10. extrema *pueritia*.

Ad Att. XV. 20. *homines* extrema *quædam de republica loqui*, hoc eſt, ei ſummam perniciem imminere.

F.

FACIO. Creo magiſtratum, *&c. Planc.* 4. *populus* facit *eos, a quibus eſt maxime ambitus*.

In re ſacra. *Mur.* 41. *Junoni omnes Conſules* facere *neceſſe eſt*.

Manil. 20. *ſi quid eo* factum eſſet, per εὐφημίαν, pro, ſi mortuus eſſet.

Verr. II. 16. *Quid hoc homine* facias? *Acad.* IV. 30. *quid* faceret *huic concluſioni?*

Fingo. *Nat. D.* I. 30. *his vocabulis deos eſſe* facimus, &c.

Verr. III. 42. *tributum* facere *coegiſti*, id eſt, dare.

FACULTAS. Pro copia. Dicitur diverſis modis, ut ipſum copiæ verbum. *Syll.* 14. *Cujus generis virorum* facultas *in ſenatu maxima*. Quint. 4. Facultas *nummorum*. Ad Fam. X. 4. *ſi* facultas *tui præſentis eſſet*. Quint. 1. facultates *amicorum*.

De poſſibilitate, occaſione, *&c. ad Fam.* I. 7. *ſi res* facultatem *habitura videatur*. Ibid. II. 3. facultatem *munerum nemo admiratur, eſt enim copiarum, non virtutis*.

FACTIO. Jus faciendi. *Top.* 11. *ad Fam.* VII. 21. Factionem *teſtamenti non habere*.

Partes, etiam in bono ſenſu. *Ad Q. Fr.* III. 1. 5. *Gabinium tres adhuc* factiones *poſtulant*.

FAMILIA. Servi. *ad Fam.* XIV. 4. Familia *liberata*. Confer *ad Fam.* I. 3. *Brut.* 22. *&c.* Hinc *Cluent.* 15. familia *Martis*, hoc eſt, ſervi Martis, qui *Martiales* dicuntur, *Venerii* in Sicilia.

Gladiatores, quia & ipſi ſervi. *Syll.* 19. *comparare* familiam. Item: *præeſſe* familiæ.

*Familia* herciſcunda, *Vide* HERCISCO.

Dicitur etiam de ſecta philoſophorum. *Orat.* I. 10. *Divin.* II. 1. *Peripateticorum* familia, *&c.* Unde illud fluxit etiam de Trebatio: familiam *ducit in jure civili*. Ad Fam. VII. 5.

FAMILIARIS. *Quin.* 27. *Manus allatas eſſe ante lares* familiares. Lares familiares ſunt manes majorum, quorum imagines ad focum in atrio ſtabant.

In extis quid ſit pars familiaris, fiſſum familiare, *vide* fiſſum.

FASTI. Kalendarium, in quo inter alia, qui dies faſti aut nefaſti ſunt, conſignatum eſt. *Muren.* 11. *Poſſet agi lege nec-ne, pauci quondam ſciebant*; faſtos *enim vulgo non habebant*.

Annales. *Piſ.* 13. *hos conſules non dicam animi hominum, ſed ulli* faſti *ferre poſſunt?*

FIDUCIA. Hypotheca, pignus. *Flacc.* 21. fiducia *accepta*. Ibid. fiducia *commiſſa*.

Genus judicii, in quo judicatur ex æquo & bono hac formula adjecta: ut inter bonos bene agier oportet. *Off.* III. 15. *ad Fam.* VII. 12.

*Fiducia* eſt etiam in hereditatibus & emptionibus. Nempe cum aliquis heres fit, hac conditione, ut accepta hereditate, eam reddat alteri, quem heredem ſcribere per leges non licebat, tanquam filiæ, quæ ex lege Voconia heres eſſe non poterat. Item, cum alicui venditur aliquid venditione imaginaria, ut rem venditam ſtatim reddat; quod fiebat in hereditate a ſacris liberanda, *&c. Cæcin.* 3. *qui per tutelam, aut ſocietatem, aut rem mandatam, aut* fiduciæ rationem *fraudavit aliquem*. Roſc. Com. 6. *Si qua ſunt privata judicia ſummæ exiſtimationis & pene dicam capitis, tria hæc ſunt*, fiduciæ, *tutelæ, ſocietatis*. Confer *Nat. D.* III. 30. *Offic.* III. 17.

FINITOR. Agrimenſor, qui agros in coloniis deducendis metitur & definit. *Agr.* II. 13. finitorem *mittant: ratum ſit, quod* finitor *uni illi, a quo miſſus erit, renunciaverit*. Confer *cap.* 17. 20.

FISSUS. *Div.* II. 13. Fiſſum *familiare & vitale*. Ibid. I. 10. fiſſum *in extis*. Nat. D. III. 6. Fiſſum *jecoris*. Div. II. 12. *quod* fiſſum *periculum, quod commodum aliquod oſtenderet*. Fuit autem *fiſſum* linea imaginaria, exta bipartito dividens, ut altera pars ad hoſtes, altera ad ſacrificantem ejuſque amicos pertineret, unde *familiare fiſſum, pars familiaris extorum* dicitur.

FLAMEN. Genus ſacerdotum. Erant Romæ flamines tres, Dialis, Martialis & Quirinalis; additus deinde quartus, Julius. Tres ſuperiores erant in collegio Pontificum.

Mil. 10. *flaminem* prodere, *id eſt*, creare. Eſt enim hoc proprium in ea re verbum.

FLAMINIUM. Sacerdotium flaminis. *Phil.* XIII. 19. flaminium *Cæſaris*.

FORMA. Dialecticis eſt ſpecies generi ſubjecta. *Top.* 7. *In diviſione* formæ *ſunt, quas Græci* ἰδέας *vocant, noſtri ſpecies, &c.* V. 4. forma *diſciplinæ triplex*.

Delineatio ædificii & cujuſcumque rei. *Ad Fam.* II. 8. *ut cum* formam *reip. viderim, quale ædificium futurum ſit, &c.* Confer *Or.* I. 3. *ad Fam.* III. 11. *quod ad me quaſi* formam *communium temporum & totius reip. miſiſti expreſſam*.

In rhetoricis *forma* dicitur, ut *figura*, primo de tribus generibus dicendi: χαρακτὴρ, ἰδέα. *Or.* II. 23. *Or.* 11. & de Schematibus. *Brut.* 17. *ſententiarum & orationis* forma.

Ratio, conſtitutio. *Tuſc.* II. 15. *qui Græciæ* formam *rerumpublicarum dederunt*. *Phil.* V. 5. forma *judicis*.

Species rei in animo expreſſa & comprehenſa. *Or.* 3. *Habuit profecto comprehenſam animo quandam* formam *eloquentiæ .... eos, quibus aliquid aut plura deerant, in eam* formam *non poterat includere*.

Externus apparatus, inſignia. *Agr.* II. 13. formam *adhuc habetis & ſpeciem ipſam tyrannorum*.

*Nat. D.* II. 40. formæ *igneæ*, ſunt ſidera.

FORMULA. Forma. *Acad.* I. 4. Formula *diſciplinæ*.

Generale pronunciatum, ex quo de ſingulis rebus judicari poſſit. *Off.* III. 4. formula *quædam conſtituenda eſt, &c.*

In jure civili formula eſt certus verborum modus. Formulæ ſunt, *primo* eæ, in quas judicium datur. *ſecundo* JCtorum, quibus agitur in aliquem, quibus teſtamenta, ſponſiones, ſtipulationes & reliqui hujuſmodi actus juris fiunt, quibus cavent alicui: (*vide* Cautio, &c.) & ipſæ ſunt verborum certæ conceptiones & formæ; unde etiam nomen duxerunt. *Mur.* 13. Formulæ *veſtræ atque actiones, &c.*

FORNIX. Præter vulgarem illam ſignificationem, ſignificat arcum triumphalem aut honoris cauſa etiam non triumphanti conſtitutum *Act.* I. *Verr.* 7. *fornix Fabianus*. Verr. II. 63. *hujus* fornix *in foro Syracuſis eſt, in quo nudus filius ſtat, ipſe autem ex equo nudatam ab ſe provinciam proſpicit*; quem locum egregie illuſtrant nummi, qui fornices exhibent ſtatuis impoſitis ornatos.

FORUM. Or. I. 36. *Ego iſtos non modo oratoris nomine, ſed ne* foro *quidem dignos putarim*; qui cauſas in foro agunt, cum juris civilis imperiti ſint.

*Ad Fam.* XIII. 10. *in* forum *venire*. Ibid. V. 8. forum *attingere*. De iis dicitur, qui puram togam, *hoc eſt*, virilem in foro acceperunt a prætore, atque deinde in judiciis verſari & cauſas agere poſſunt.

Quia in foro tabernæ argentariorum ſunt, ibique pecuniæ perſcriptionibus, tranſcriptionibuſque, &c. tractantur, propterea ſæpe in re pecuniaria fori mentio. *Manil.* 7. *ratio pecuniarum, quæ in* foro *verſatur*. Flacc. 29. *in* foro *verſari*, dicuntur negotiatores. *Agr.* I. 8. *fidem de* foro *ſuſtuliſtis*.

Foro cedere, Gallice *faire banqueroute*. Rabir. Poſt. 15. *Poſtumum non haberemus in* foro.

*Fora* dicuntur conventus provinciales, *hoc eſt*, non modo civitates in quibus aguntur, ſed ipſi etiam dies conventuum. *Verr.* III. 15. *extra* forum *ſuum vadimonium promittere*. Ibid. II. 15. *civitates, quæ in id* forum *convenirent*. Ad Fam. III. 6. ad Att. V. 21. forum *agere*.

FREQUENTARE. Frequentes convocare, cogere, *Catil.* IV. 7. *quos cum caſu hic dies ad ærarium* frequentaſſet.

Crebro, copioſe uſurpare. *Or.* 25. *acervatim multa* frequentare.

Replere. *Or.* III. 52. Frequentare *orationem luminibus & ſententiarum & verborum*.

## G.

GENS. Quid Romæ fuerit, intelligitur ex hoc loco: *Or.* I. 39. *Cum Marcelli ab liberti filio* ſtirpe, *Claudii patricii ejuſdem nominis hereditatem* gente *ad ſe rediiſſe dicerent: nonne in ea cauſa fuit oratoribus de toto* ſtirpis *ac* gentilitatis *jure dicendum?* Scilicet, *gens* eſt communis diverſis ſtirpibus, ſive familiis. Sic *gens* Claudia comprehendit diverſas familias patricias & plebejas, Appios, Marcellos, &c. *Stirps* autem, ſive *familia* eſt pars gentis. Cæterum *gens* & *familia* ſæpe permutantur.



Ad Fam. IX. 21. *Patricii minorum* gentium, *hoc eſt*, earum, quas Tarquinius Priſcus in ſenatum legit. *majores* autem gentes ſunt, quæ a Romulo lectæ ſunt. *Liv.* I. 35. Hinc ad alia transfertur loquendi ratio, ut minorum gentium dicantur *inferiores*. Acad. IV. 41. *Cleanthes quaſi* minorum gentium *Stoicus*. *Tuſc.* I. 13. *Dii* majorum gentium.

GENTILIS. *Top.* 6. Gentiles *ſunt, qui eodem inter ſe ſunt nomine, ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo ſervitutem ſervivit, qui capite non ſunt deminuti*. Sic *Brut.* 28. *M. Pennus Bruti gentilis* dicitur, quia uterque e Juniis.

*Tuſc.* I. 16. Ciceronis *gentilis* dicitur *Servius Tullius*, ob commune Tullii nomen.

GRASSATOR. *Fat.* 15. Genus latronum, quod in urbe vicos obſidet, & obvios injuriæ opportunos verberat, ſpoliat, & morte territat.

GUMIA. *Fin.* II. 8. E Lucilio, vox antiqua, quæ helluonem & gulæ mancipium ſignificat.

GYRUS. *Offic.* I. 26. *Homines ſecundis rebus effrenatos & ſibi præſidentes tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere*. Or. III. 19. *Oratorem in exiguum* gyrum *compellitis*, hoc eſt, ad ejus artem pauca refertis. Ducta eſt metaphora ab equis, qui a domitoribus in gyrum aguntur crebro, ut manſuetiores & faciliores fiant.

## H.

HASTA. Tropice, auctio publica, quia haſta ſignum auctionis publicæ.

HASTATUS. Eſt genus militum, quod in acie prima conſtituebatur, ut in media principes, in ultima Triarii. *Div.* I. 35. *ſignifer primi* haſtati, *hoc eſt*, primæ centuriæ haſtatorum.

HERCISCERE. Or. I. 56. *Qui quibus verbis* hercïſci *oporteat neſcit, idem* herciſcundæ familiæ *cauſam agere non poteſt*. Cæcin. 7. *Æbutius nomine heredis arbitrum* familiæ herciſcundæ *poſtulavit*, hoc eſt, ad diviſionem provocavit, ut hodie loquuntur. *Herciſci* eſt *dividi*.

HONOR. In plurali de magiſtratibus dicitur. *Vide ad Fam.* X. 9. 10. *&c.* De magiſtratu autem in ſingulari. Sic *Syll* I. 18. *honor* de conſulatu. Confer *Mur.* 14. *Inv.* I. 54. *Flacc.* 1. honoris *potius L. Flacci adjutorem futurum*.

Præmium, donum & quicquid honoris cauſa datur, aut datum honori eſt. Sic de hereditate. *Quint.* 4. *ut ad quem maximus mæror morte ſua perveniret, ad eum maximus etiam* honos, &c.

HONORARIUS. Arbitri epitheton, quod honoris cauſa ad aliquem arbitrium defertur. *Tuſc.* V. 41. *quorum controverſias ſolebat tanquam* honorarius arbiter *judicare Carneades*. Roſc. Com. 5. honoraria *arbitria*. Cæcin. 2. honoraria *opera amici* (ſcilicet arbitri.)

Honorarium eſt, quod non debemus, ſed noſtra ſponte facimus libere, honoris cauſa. *Opt. gen. Or.* 1. *docere debitum eſt, delectare* honorarium, *permovere neceſſarium*. Sic *Piſ.* 35. honorarium *frumentum*, eſt frumentum in cellam.

HUMANITAS. Natura ipſa humana. *Roſc. Am.* 22. *magna eſt vis* humanitatis. *Or.* I. 12. *omnem vim* humanitatis *tenere, cauſaſque eas, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur*.

Hinc etiam *humanitas* dicitur de omnibus rebus, quæ hominibus ſunt attributæ natura, de ingenio, de propenſionibus, ſenſibus, & omnibus, quæ in homines, qua homines ſunt, cadunt. Itaque 1. dicitur de deſiderio & amore noſtrorum. *Ad Att.* IV. 15. *humanitatem tuam amoremque in tuos reditus celeritas declarabit*. 2. De ſtudio valetudinis. *Ad Fam.* XVI. 11. *fac, quod* humanitatis *tuæ eſt, ut nullam aliam rem cures, niſi ut valeas*. 3. De ſenſu illo doloris, lætitiæ, &c. in rebus lætis & triſtibus. *Roſc. Am.* 53. *ſenſum* humanitatis *amittimus*. Amic. 13. humanitas *ex animo extirpata*. Tuſc. IV. 14. *habet* humanitatis *ſpeciem miſericordia, metus*. Or. III. 40. humanitatis *mollitudo*. Ad Att. XIII. 2. humanitatem *omnem exuere*. Roſc. Am. 16. *natura tibi dedit, ut* humanitatis *non parum haberes*. 4. De ſtudio exhilarandi ſe, ubi in otio ſis, aut locus patitur. *Or.* I. 8. *quid in otio tam* humanitatis *proprium, quam facetus ſermo?*

Et quia literarum ſolus homo capax eſt, humanam naturam, *hoc eſt*, ingenium, mentem, moreſque literæ expoliunt, ut tanquam magis homines ſimus, & eo latius a brutis ſejungamur, unde *Fin.* V. 19. animi cultus *humanitatis cibus* appellatur: homo natura ducitur ſciendi cupiditate, eumque adeo vel maxime decent, propterea ſtudia humanitatis dicuntur. *Or.* I. 16. *omnes* humanitatis *partes*. Ibid. 9. *omne genus* humanitatis. *Ibid.* II. 17. *politior* humanitas. *Ibid.* 10. *inops* humanitatis.

Sed quemadmodum homini proprium eſt ſcire, ita etiam ei quædam officia propria ſunt, quæ adeo præſtare aliis debet, & quia ipſe homo eſt, & quia hi, quibus præſtat ea, homines ſunt, adeoque naturæ quodam vinculo cum eo juncti. In quo obſervandum eſt, Latinos tres habere gradus in iis rebus, quas aliis debemus, ut ſunt tres gradus conjunctionis inter homines. Primus gradus eſt ipſius naturalis conjunctionis, quæ omnes homines amplectitur; huic eſt proprium vocabulum *humanitatis*. Alter gradus eſt ejus conjunctionis arbitrariæ, quæ eſt inter cives, ſocios, verbo, æquales; huic reſpondet *officium*. Tertius gradus, eſt inter magiſtratus & cives, parentes & liberos, conjuges, fratres, benefactores & eos qui beneficia accepere, &c. huic proprium eſt *pietatis* vocabulum.

Itaque ſæpe hæc verba, ut diverſa junguntur, ſed permutantur tamen etiam interdum. *Pietatis & officii* verbum interdum uno *neceſſitudinis* continentur, verbi cauſa, *ad Fam.* X. 34. humanitatis *& neceſſitudinis cauſa eorum ſalutis rationem habuimus*. Ibid. XI. 28. *ab officio aut ab* humanitate *deſciſcere*. Confer *Verr.* II. 47. *Off.* III. 10. Itaque *humanitas* ſignificat multa, ut facilitatem, æquitatem animi in ferendis malis,

lis, miſericordiam, æquitatem erga alios, manſuetudinem, placabilitatem, &c. *ad Fam.* XI. 22. *ut vel* humanitatis *tuæ, vel mea cauſa eum conſervatum velis*. Ad Q. Fr. I. 19. humanitatis *eſt aliorum conſulere commodis*. Ad Att. XV. 1. humanitas *edictorum*. Ad Att. XV. 16. humanitatis *tuæ eſt ignoſcere*. Off. III. 6. *in figura hominis feritas & immanitas belluæ a communi tanquam* humanitate *corporis ſegreganda eſt*. Arch. 2. *humanitas* opponitur *acerbitati*. Catil. IV. 6. humanitas *& miſericordia*. Quint. 16. humanitas *communis*. Or. II. 56. humanitatis *eſt reſponſio*. Verr. II. 40. humanitatis *rationem habere*. Ad Fam. V. 21. *tibi cum ſummam* humanitatem, *tum etiam literas profuiſſe*, ſcilicet, ut ferres injurias. *Ad Fam.* XI. 27. humanitas *tua, qui amicum etiam mortuum diligis*. Amic. 2. *nec fuiſſe id* (ſcilicet, moderate ferre mortem amici) humanitatis *tuæ*. *Mil.* 13. *crudelius punitus eſt, quam erat* humanitatis *meæ poſtulare*. Sen. 1. humanitatem (æquitatem in rebus humanis ferendis) *& prudentiam Athenis deportaſſe*. Off. III. 23. *utilitate magis dirigi officium, quam* humanitate. *Phil.* II. 4. *humanitatis expers*, qui literas ſibi ab amico ſcriptas, rupta amicitia, profert.

Cultus humanus, vitæ ratio homine digna. *Sext.* 42. *vita* humanitate *perpolita*. Or. III. 15. *ut puerorum mentes ad* humanitatem *& virtutem fingerentur*. Div. II. 38. *barbari* humanitatis *expertes*.

Quia denique homini proprium eſt ridere, lætari rebus lætis, jocari, *Or.* I. 8. propterea *humanitas* eſt etiam pro urbanitate, lepore. *Ad Att.* I. 13. *ſale* humanitatis *ſparſæ*. Ad Fam. XI. 27. *lepos*, humanitas, *literæ*. Roſc. Am. 41. *literis eorum & urbanitate ducitur ..... horum literas adamarit aut* humanitatem. *Verr.* III. 4. *at ſermone, at literis, aut* humanitate *ejus delectamini*. Or. II. 67. *Socratem in hac ironia diſſimulantiaque longe lepore &* humanitate *omnibus præſtitiſſe opinor*.

HUMANUS. Homo. *Ad Att.* XIII. 21. *poſſum falli, ut* humanus.

Ab homine expectandus, hominibus uſitatus & naturalis. *Verr.* III. 57. humana *& uſitata ratio*. Tuſc. III. 6. Humanum *id quidem, non enim e ſilice nati ſumus*. Or. 62. *oratio compoſita aufert* humanum *ſenſum auctoris*, hoc eſt, facit ut non poſſit cum animi commotione, quę hominibus ſolemnis eſt in his rebus, dicere.

Doctus. *Orat.* II. 1. humaniſſimus *homo*.

Homine dignus. *Orat.* I. 8. humanus *cultus*. Arch. 7. *animi adverſio* humaniſſima. *Acad.* IV. 41. humaniſſima *completur animus voluptate*.

Æquus, moderatus. *Ad Fam.* X. 24. *moderatiſſimi atque* humaniſſimi *ſenſus fuit*.

Urbanus, lepidus. *Fin.* II. 31. *homo bellus &* humanus.

Acutus ſive etiam curioſus, quia hominibus hoc innatum eſt, ut velint ſcire, inprimis ea, quæ occultantur. *Verr.* V. 28. *Syracuſani homines periti &* humani, *qui non modo ea, quæ perſpicua eſſent, videre, verum etiam occulta ſuſpicari poſſent; habebant rationem quotidie piratarum, qui ſecuri ferirentur, quam multos eſſe oporteret, conjiciebant*.

Humana, & res humanæ dicuntur quæ hominibus propria ſunt, iis accidere poſſunt, divitiæ, honores, morbi, pericula, paupertas, mors, &c. *Offic.* I. 4. humanarum rerum *contemptio*.

## I. J.

IMAGO. Opponitur rei ipſi, ut nomen. *Rab. P.* 15. *umbra &* imago *equitis R.*

De echo. *Tuſc.* III. 2. imago *vocis*.

Εἴδωλα Epicuri. *Div.* II. 67. *Nat. D.* I. 12. *Fin.* I. 6. *Fam.* XV. 16.

*Verr.* V. 14. jus imaginis *ad memoriam poſteritatemque prodendæ*. Hoc jus dabat ædilitas curulis & cæteri magiſtratus majores. Itaque imagines ſunt ſigna nobilitatis. Nobiles enim ſunt quorum majores magiſtratus majores geſſere. *Agr.* II. 1. Imagines *familiæ ſuæ*. Planc. 7. *qui* imaginibus *ducuntur*. Sext. 8. imaginis *ornandæ cauſa*.

IMPERATOR. Eſt honoris nomen, quod aut a militibus, re proſpere geſta, ducibus tribuitur, *Ad Fam.* II. 10. aut a ſenatu, *Phil.* XIV. 4. 5. certo hoſtium numero occiſo.

IMPERIUM. *Manil.* 4. *de* imperio *dimicare*. Dicitur cum bellum eſt non de aliqua regionis parte, ſed uter alteri ſerviat.

*Imperii*, quod magiſtratuum eſt, duas formas facio, alteram *civilis & quaſi togati*, quod eſt magiſtratuum urbanorum, & omnium provincialium, & alio nomine *poteſtas* dicitur, habetque prehenſionem, animadverſionem, coercitionem, in provincia etiam jus ſecurium, ſive ut ſub Cæſaribus appellatum eſt, gladii, atque alia multa, quæ ratio magiſtratus poſtulat, unde dicuntur hi magiſtratus eſſe *in imperio*.

Alterum genus eſt *militare*, quod habent magiſtratus provinciales, quibus poteſtas belli alicujus gerendi mandata eſt, aut alii quibus extra ordinem belli adminiſtratio mandatur. Hoc imperium, qui habent, dicuntur eſſe *cum imperio*; ad Fam. I. 1. hujuſmodi eſt *Verr.* III. 91. *infinitum* imperium *Antonii*; & *imperium* Lentuli *ad Fam.* I. 7. &c. unde interdum *imperia & magiſtratus* opponuntur.

IMPETRIRE. Div. I. 16. *avibus magnæ res* impetriri *ſolebant*. Ibid. II. 15. *qui evenit, ut qui* impetrire *velit, convenientem hoſtiam rebus ſuis ducat?* Eſt autem *impetrire*, auſpiciis, extis, &c. conſulere Deos, an, quod in manibus habemus, felicem ſucceſſum ſit habiturum necne; unde quod aves admittunt, exta felicia ſuadent, id *impetritum* dicitur.

INDEX. *Indicis* verbum Ciceronis temporibus convicium & nomen hominis perditi fuit & nocentis, ut, inprimis ſub Imperatoribus, nomen *delatoris & cognitoris*. Scilicet, quemadmodum quidam delatoribus & cognitoribus, quadruplatoribus utebantur, ut aliis calumniis li-

tium



tium moleſtiam crearent, ſic homines ſeditioſi conducebant egentes & impudentes perditoſque, ut per eos bonos cives vexarent, cum eos in concionibus producerent, ut ab ſe interrogati conficta crimina & invidioſa proferrent, quibus populum in eos concitarent, aut in ſenatu, ut hujuſmodi res ederent. *Vide* Vatin. 10. 11. Flacc. 38. Sext. 63. ad Q. Fr. II. 3.

INDICIUM. Quod indices ediderunt. *Syll.* 13. *Vatin.* 11. *Roſc. Am.* 37.

Delatio nominis, partes accuſatoris. *In Cæcil.* 11. *ſi tibi* indicium *poſtulas dari*.

INDICARE. Pretium dicere, *Off.* III. 15. *ut ſibi fundus, cujus emptor erat, ſemel* indicaretur.

INDUCERE. Afferre. *Inv.* I. 36. inducere *approbationem*. Ad Fam. XI. 22. *cauſam* inducere.

Commemorare. *Dom.* 34. *ad Att.* XIII. 19. *ſermonem alterius* inducere.

Referre in rationem. *Ad Fam.* III. 10. *rationes, in quibus, quantum legatis datum*, induxit. Confer *Verr.* I. 41.

Delere. *Dom.* 4. inducere *Senatus-conſultum*, ad Att. XIII. 14. inducere *nomina*.

INGENUITAS. Eſt eorum, qui liberis parentibus nati ſunt, quorumque nemo juſtam ſervitutem ſervivit. *Verr.* I. 58. ingenuitatis *jus*.

INHUMANUS. *Off.* III. 11. inhumanum *eſt, uſu urbis prohibere peregrinos*. Amic. 14. *non* inhumana *eſt virtus*, ſcilicet, quia populis univerſis conſulit.

Ruſticus. *Off.* I. 36. *agreſtis &* inhumana *negligentia*.

Sordidus, qui utilitatem honeſto præfert. Amic. 13.

Stupidus, indoctus. *Or.* 51. *aures* inhumanæ. *Red.* II. 6. inhumanum *negotium*. Sævus. *Verr.* III. 2.

Inurbanus. *Quint.* 3. *neque* inhumanus *præco eſt exiſtimatus*.

Off. I. 40. *inhumanus* dicitur, qui in convivio meditatur attentius, quod alienum eſt ab homine, in convivio non hilarem eſſe, loqui, &c.

INITIA *naturæ*. Fin. II. 12. III. 6. De iis rebus, quæ nobis primæ a natura quaſi commendari videntur, quod eas noſtra ſponte appetimus, & eorum cauſa alias conſectamur.

*Acad.* IV. 36. initia *mathematicorum, quibus non conceſſis digitum progredi non poſſunt*: hoc eſt, prima illa quæ ut perſpicua & certa ponuntur a mathematicis.

Myſteria. *Leg.* II. 14. *nihil melius illis myſteriis, quibus ex agreſti immanique vita exculti ad humanitatem mitigatique ſumus*; initiaque *ut appellantur, ita revera principia vitæ cognovimus*.

INOFFICIOSUS. *Verr.* I. 42. inofficioſum *teſtamentum*; quo prætermittuntur liberi, conjuges, proximi, quibus officii noſtri eſt conſulere.

INTERCALARIS. Intercalatus. *Quint.* 25. *ante V. Kalendas* intercalares. Intellige de menſe intercalato ex inſtituto Numæ. Annus Numæ erat 355. dierum, ex quo inſtituto quia octo annorum ſpatio 90. dies aberrabat annus a curſu ſolis, hos 90. dies in quatuor menſes intercalares ſive Merkedonios deſcripſit Numa, duos binum, duos ternum & viginti dierum, & poſt biennium unumquodque, unum ex his, & quidem alternis, modo parem, modo imparem, interpoſuit. Eos menſes a Græcis inventos adhibuerat. Quia autem Græci tantum 354. dierum faciebant annum, poſt tertiam octaeterida, *id eſt*, poſt viceſimum quartum annum, dies erant 24. ſuperflui Numæ, illi ſcilicet, quos ſingulis annis, in honorem imparis numeri, adjecerat. Itaque tertia octaeteride non 90. ut in primis duabus octaeteridibus, ſed 66. dies interpoſuit, quo facto ſolem & lunam ad eaſdem metas reduces habebat. Atque hic eſt cyclus Numæ 24. annorum, de quo eſt apud Livium I. 20.

Ad Fam. VI. 14. *Kalend.* intercalares *priores*. Hunc locum cape de menſibus intercalariis Cæſaris. Is, quia anni ratio propter intercalandi licentiam, qua Pontifices uſi erant, perturbata erat, & ipſe faſtos emendare inſtituerat, primo inſtituit annum 365. dierum; deinde ut ante in ordinem rediret annus, fecit annum, quem vocant confuſionis. In eo erant tres menſes intercalarii, primus is, qui ex inſtituto Numæ in illum annum incidebat, deinde duo Cæſaris integri interjecti inter Novembrem & Decembrem: Prioris Kalendæ dictæ ſunt Intercalares priores, alterius poſteriores.

INTERCESSOR. Qui ſe interponit: mediator, ut hodie dicunt. *Roſc. Am.* 38. *iſto hortatore, auctore*, interceſſore *legati ad Syllam non adierunt*.

Sponſor. *ad Fam.* VII. 27. *utinam ſemper tribunus eſſes*, interceſſorem *non quæreres*. Ludit in ambiguitate verbi, quod & ſponſorem ſignificat, & tribunum intercedentem alicui rei, *hoc eſt*, vetantem.

INTERDICTUM. Decretum prætoris, certis formulis conceptum, quo aliquid jubet vel vetat. Inprimis in controverſiis de poſſeſſionibus, cum eum qui ex aliquo loco dejectus eſt, reſtitui jubet, donec res judicio plana facta ſit. Pro Cæcin. 3. 14. 31. *Orat.* I. 10. interdicto *tecum contenderent*.

*Dom.* 26. interdictum *ſceleris*, id eſt, ſceleſtum. De lege, qua Ciceroni aqua & igni interdictum erat.

INTERREX. *Dom.* 14. eſt magiſtratus extraordinarius, qui comitiorum habendorum cauſa creatur, cum magiſtratus major nullus eſt, qui habere poſſit. Nomen retinuit in libera republ. quod olim acceperat, poſt mortem Romuli in interregno. *Liv.* I. 17. Interregem autem & patricium eſſe, & a patricio prodi oportebat. *Pro Dom. ibid.*

INTERROGARE. Flacc. 10. *bene teſtem* interrogavit. Scilicet moris erat, cum teſtis ab aliquo in judicio producebatur, ut & ipſe qui eum produceret, de iis rebus, quas vellet teſtimonio ejus confirmari, eum interrogaret, & patronus ejus, contra quem producebatur, ſi forte reſponſiones elicere poſſet ejuſmodi, qui-



bus

bus ſe impediret ipſe, quibuſque teſtimonium ejus convinci poſſet falſitatis: in quo in primis ingenium & artificium patroni cernebatur. Atque hoc eſt, *bene interrogare*.

Compellare de crimine aliquo, quod eſt accuſatoris. *Dom.* 29. *quis me* interrogavit *ulla lege? quis poſtulavit? quis diem dixit*?

INTERROGATIO. Eſt actoris, cum teſtem ſive ſuum, ſive adverſarii interrogat, cujuſmodi eſt oratio in Vatinium. *Ad Fam.* I. 9. *tota vero* interrogatio *mea nihil habuit, niſi reprehenſionem Tribunatus ejus*. Ex interrogatione hac Vatinii intelligitur, etiam objecta eſſe teſtibus interrogando, quibus fides eorum infirmari poſſet.

INTUS. *Intus canere*; vide CANO.

IRROGARE. Eſt populum lege rogare, ut aliquid jubeat, quod ad alterius incommodum pertinet. *Dom.* 22. *multam* irrogare. *Sext.* 30. irrogare *privilegium*.

JUBEO. De populo proprie dicitur, cum legem accipit. *Ad Brut.* 4. *Senatus cenſuit, populus R.* juſſit.

De prætore jus dicente, cum decernit. *Quint.* 8. *quin ita ſatisdare* juberetur. *Ibid.* Jubet *P. Quintum ſponſionem facere, & recuſantes noſtros advocatos acerrime ſubmoveri*.

JUDICIUM. Roſc. Com. 4. *Judicium* & *arbitrium* ut differant? *Milon.* 1. judicium *novum*, hoc eſt, extraordinarium & nova lege conſtitutum, quale Milonis fuit. *Cluent.* 44. judicium *cum re conjunctum* hoc eſt, verum, *Roſc. Com.* 5. judicia *legitima*: legibus conſtituta. *Mur.* 2. judicium *Conſulis deſignati*, eſt, quod intenditur Conſuli deſignato. *in Cæcil.* 1. *Brut.* 33. *&c.* judicia *publica* ſunt, in quibus cauſa publica agitur: *privata* contra, in quibus privatæ. Sed *Arch.* 2. judicium *publicum* dicitur, quod eſt de cauſa privata. Eſt enim illud judicium de jure civitatis, quod eſt privati juris: Sed ita dicitur, quia judicium illud Archiæ agebatur ex lege Plautia Papiria, quæ eſt juris publici. *Dom.* 31. judicia *Senatus*, ſunt SCTA.

*Judicia* dicuntur etiam honores, præmia, quia ſcilicet dantur his, qui iis digni judicantur. *Orat.* 41. *cujus de meritis Senatus tanta feciſſet*. Confer *Manil.* 15. *Planc.* 39. ubi de ſupplicatione dicitur. *Roſc. Am.* 37. *Age nunc ex Chryſogoni* judicio *Roſciorum factum conſideremus*, hoc eſt, ex præmio, quod Roſciis Chryſogonus dedit.

Acumen in judicando & facultas. *Ad Fam.* VI. 18. *quicquid* judicii *habuerim de dicendo*. Ibid. *tantundem de mei* judicii *fama detrahatur*. Ibid. X. 25. *cum tantum tuum conſilium*, judiciumque *ſit*.

*Judicium* dicitur etiam pro judicibus. *Verr.* II. 18. judicium *ſortiri*.

JUS. Significat omnia ea, ex quibus, quid juſtum ſit, quid faciendum, quid omittendum, intelligitur, tanquam leges, edicta prætorum, conſuetudo, &c. Hujus juris plura genera ſunt. Apud Ciceronem hæc obſerva:

*Jus Civile*. Vide *Civilis*. Sed aliter ſumitur *jus civile* Flacc. 32. *quæro, ſintne iſta præmia cenſui cenſendo: habeant* jus civile. Nempe ita, ut ſignificet conditionem qua gaudent prædia, quæ in cenſum deferri poſſunt.

*Jus divinum*, eſt 1. naturale. *Sext.* 42. *tum domicilia conjuncta, quas urbes dicimus, invento & divino & humano jure, mœnibus ſepſerunt*. Antea dixerat *naturale* & civile. *Har. R.* 16. *jus legatorum cum hominum præſidio munitum ſit, tum etiam* divino *jure eſſe vallatum*. 2. Pontificium. *Har. R.* 7. extr. *domum publico omni præcipuo, & humano &* divino *jure munitam*. Liberata erat Ciceronis domus a Pontificibus, adeoque *divino* jure, deinde a populo, lege, *cap.* 6. adeoque *humano* jure. Sed utrumque hoc jus publicum eſt.

*Jus Gentium* eſt naturale. *Offic.* III. 5, *neque hoc ſolum natura*, id eſt, jure gentium, *ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis civitatibus reſpublica continetur*. Confer *ibid.* cap. 17.

*Jus Humanum*. Cum opponitur *divino*, eſt modo poſitivum, quod vocant, omne, cum publicum tum privatum, modo ea tantum, quæ in rebus profanis verſantur.

*Jus Pontificium*. Dom. 13. eſt de rebus Sacris, in quibus Pontifices cognitionem habent.

*Jus Prædiatorium*. Balb. 20. Jus illud, quod ad prædia publico obligata, & e lege prædiatoria vendenda pertinebat.

*Jus Prætorium* dicit 1. edicta Prætorum. *Off.* I. 10. *quæ quidem pleraque* jure prætorio *liberantur, nonnulla legibus*. Verr. I. 44. *poſteaquam* jus prætorium *conſtitutum eſt, ſemper hoc jure uſi ſumus*. 2. Totam juriſdictionem prætoriam. *Verr.* II. 12. *ejuſdem modi totum* jus prætorium *fuit per triennium in Sicilia, Verre prætore*. Phil. II. 2. *quam injuriam iſte interceſſoris beneficio obtinuit, non* jure prætorio.

*Jus Privatum*, eſt *civile*, 1. ſtricte ſic dictum, de quo *vide* Civilis. *In Cæcil.* 5. *Civibus cum ſunt ereptæ pecuniæ, civili fere actione &* privato jure *repetuntur*. 2. Deinde pro conditione, quæ ex jure civili illo oritur. *Har. R.* 7. *domus eſt* jure privato, *ſcilicet*, quam tenemus hereditate, auctoritate, mancipio, nexu.

*Jus Publicum*, 1. opponitur *privato*, & cum ſacrum, ſive pontificum, tum profanum jus complectitur. *Dom.* 53. *Sed ut revertar ad* jus publicum *dedicandi*. Unde *domus* jure publico, dicitur *Har. Reſp.* 7. quia & a populo lege centuriata, & decreto pontificum liberata erat. 3. Eſt vero etiam pro jure communi, *Div.* I. 5. quod ad omnes cives pertinet, adeoque etiam pro civili illo, quod alias privatum dicitur. *Dom.* 13. *nego potuiſſe* jure publico, *legibus iis, quibus hæc civitas utitur, &c.* Ibid. *verſor in medio* jure publico. *Ibid.* 49. *nec de* jure *pontificio, ſed de* publico *diſputo*. Ad Fam. IV. 14. *ſi de* jure publico *armis diſceptabitur*.

*Jus urbanum*. Act. I. Verr. 1. *prædo* juris urbani. Eſt civile privatum, ex quo jus dicit prætor urbanus.

JUS eſt etiam, quod legibus, edictis, conſuetudini,



tudini, *hoc eſt*, ſuperiori illi juri conſentaneum eſt, quod nobis ex eo debetur, &c. Sic eſt in his: jus *dicere*. Verr. I. 40. Quint. 26. jus *ſuum obtinere*. Verr. I. 26. jus *ſuum amittere*. In Cæcil. 18. jus *eripere*. Quint. 28. *ſi interceſſiſſet collega, remp. læſiſſet, ſed* jure *læſiſſet*. Sext. 36.

*Jus ſummum*, Græce ἀκριβοδίκαιον, cum in eo, quod nobis debetur, aut deberi putamus, non ex æquo & bono, ſed acerbe agimus, nihil remittentes de jure noſtro, ex quo ſummæ ſæpe injuriæ exiſtunt. *Quint.* 11. *aut intra parietes, aut* ſummo jure *experiri*. Cæcin. 23 *ſi verbis & literis, ut dicitur, &* ſummo jure *contendere, &c.* Confer *ibid.* 4. Ad Att. XVI. 15. Quint. 15. jus extremum.

JUS aliquando eſt Conditio quæ ex jure oritur. *Arch.* 4. *quæ civitas cum eſſet æquiſſimo* jure *ac fœdere*.

Hoc ſignificat etiam in illa forma: *optimo jure*. Pro quo etiam dicitur *optima lege, optima conditione*. Nempe eam conditionem; quæ pleniſſimum jus alicujus rei affert: quæ ut hodie dicunt, cum omnibus privilegiis & prærogativis conjuncta eſt. *Quint.* 22. *par* jus. *Har. R.* 7. *domus* jure optimo. *Agr.* III. 2. *prædia* jure optimo. *Verr.* III. 91. *quæ eſt iſta conditio Siciliæ? cur, quæ* optimo jure, *propter antiquitatem, fidelitatem, eſſe debet*, &c. Phil. V. 16. *demus imperium Cæſari: ſit pro prætore eo* jure, *quo qui* optimo.

Poteſtas in rem aliquam ſive juſta, ſive injuſta. *Verr.* I. 7. *quod eos in judicando nimium* ſui juris *ſententiæque cognoſceret*. Phil. IV. 4. *omnes ſub* jure *& imperio conſulis debent eſſe provinciæ*. Unde *ſuo jure* facere aliquid dicuntur, qui libere, pro arbitrio, nemine impediente, faciunt. *Fin.* V. 25. *Manil.* 22. *Verr.* II. 14. *ad Fam.* XIII. 77.

Locus ubi jus dicitur. *Quint.* 19. *in* jus *vocas: ſequitur*. Cæcin. 19. *quando te in* jure *conſpicio*. Confer *Quint.* 25. *Verr.* II. 77. IV. 65. *Red.* II. 9.

Æquum. *Phil.* II. 29. jus *poſtulabas*. *Quid ad rem? plus ille poterat*.

JUSTITIUM. Eſt, cum juriſdictio & judicia publica non exercentur: id fit edicto Coſſ. *Phil.* V. 12. juſtitium *edici*.

JUSTUS. Satis magnus. Sufficiens. *Ad Att.* V. 2. juſta *itinera*. Ad Fam. II. 10. juſta *victoria*.

*Juſta* dicuntur exequiæ, funus. *Roſc. Am.* 8. juſta *ſolvere*. Flacc. 38. juſta *facta Catilinæ*. Confer *Leg.* II. 22.

*Juſta* ſunt certus quidam modulus rerum ſtato tempore faciendarum, fungendarum, dandarum, percipiendarum: quodvis penſum, officium, ſolennia. Unde ſolennia & *juſta ludorum*. Har. Reſp. 10.

JUVARE. *Ad Fam.* III. 1. *homo, quod* juvet, *curioſus*. Formula, qua utimur in re, quæ bonam & malam interpretationem habet, ne deterius, ac volumus, accipiatur.

## L.

LACUS. *Brut.* 83. *quaſi de muſto ac* lacu *fervidam orationem fugientem*. *Lacus*, ut ex ipſo loco patet, eſt dolium, in quod muſtum mittitur, donec deferbuerit, & in teſtas defundi poſſit. Vinum de dolio & lacu, eſt muſtum, vinum recens; & *oratio de lacu* eſt ea, quæ novitates verborum conſectatur.

LATINITAS, *ad Att.* XIV. 12. Jus Latii, quod ex fœdere cum Latinis ortum eſt.

LAUDATIO. Genus teſtimonii publici, quod magiſtratibus provincialibus & civitatibus per legatos Romæ tribuitur, cum rei de repetundis facti ſunt. *Pro Fonteio* 2. *in Verrinis* paſſim.

LEGATIO. *Ad Fam.* XII. 21. legatione libera *legatus*. Flacc. 34. legationes liberas *ſumere*. Ad Att. II. 18. libera legatio *voti cauſa*. Dicuntur *liberæ legationes*, cum ſenatoribus, privatæ rei cauſa, tanquam voti ſolvendi, hereditatis aut ſyngraphæ perſequendæ, extra Italiam abeuntibus, jus nomenque legati populi Romani, ſenatus-conſulto datur.

Id, cujus cauſa legamur. *Phil.* IX. 1. *renunciare* legationem, *hoc eſt*, quid in legatione actum ſit. *ad Fam.* I. 4. *niſi* legationibus *perfectis*, hoc eſt, niſi a ſenatu decretum ſit, quid legatis reſpondendum ſit.

LEGARE. Legatum facere aliquem. *Ad Att.* XV. 11. *Dolabella me ſibi* legavit. *Ad Att.* XIII. 6. *ſolitos eſſe majores noſtros* legare *in decemviris, qui eſſent imperatorum neceſſarii*.

Vocabulum teſtamentarium. *Top.* 4. legare *a filio*, hoc eſt, ut filius ſolvat legatum.

LEX Dicitur *lex Cenſoria*, ipſa locatio operis faciendi a Cenſore propoſita. Lex *prædii*, eſt formula venditionis prædii, ex qua judicatur, quid emptori tradatur, quibuſque conditionibus.

Hinc lex dicitur pro conditione. *Tuſc.* III. 16. lex *vitæ*, eſt conditio, qua nati ſumus, ut alibi dicit. *Har.* 7. lege *optima*. Agr. II. 11. *ſi optima* lege *a populo eſſent creati*. Hinc etiam formula: *lege optima*, id eſt, conditione optima.

Offic. III 5. *naturæ ratio, quæ eſt* lex divina & humana. Scilicet lex naturæ eſt etiam lex divina; leges humanæ autem, quæ ad ſocietatis utilitatem pertinent, non differunt a lege naturæ, ſed ex ea ſunt repetitæ, & cum ea conſentiunt.

Lex *Centuriata* & *Curiata*. Vide ſuo loco CENTURIATUS, CURIATUS.

*Verr.* III. 7. leges *edicere*, dicitur de Cenſoribus, cum locationum formulas proponunt publice. *Ibid.* 20. legem *dicere* de eadem locatione dicitur, quatenus ſcilicet ea conditiones redemptoribus præſcribuntur. *Agr.* II. 19. leges *dare provinciæ*. Hoc dicitur de ſuperiore, qui habet ſummam poteſtatem conſtituendi, jubendique, differtque ab illo, quod dicitur: *legem ferre*; nam hoc eſt magiſtratus urbani, qui legem populo jubendam aut rejiciendam proponit.